RICHARDI SIMONIS

Gallicanæ Eccleſiæ Theologi,

OPUSCULA CRITICA

adverſus

ISAACUM VOSSIUM

Anglicanæ Eccleſiæ Canonicum.

Defenditur ſacer Codex Ebraicus & B. Hieronymi Tralatio.

EDINBURGI,
Typis JOANNIS CALDERWOOD,
M. DC. LXXXV.
Cum Privilegio.

Princeton University
Library

Clariſſimi Nobiliſſimique Viri J. H.

EPISTOLA

ad Joannem Calderwood, Bibliopolam Edinburgenſem.

Mitto ad te, vir optime, præſtantiſſimi Eccleſiæ Gallicanæ Theologi N. . . . Epiſtolam, ut eam in publicum edi cures. Illa, ut tu ipſe judicabis, plurimas eaſque difficiles Criticæ Sacræ quæſtiones accuratè explicat. Autor quoque tibi ſim ut ejuſdem Theologi CASTIGATIONES, *quæ ante paucos menſes in Anglia editæ ſunt ad calcem* DISQUISITIONUM CRITICARUM, *huic Epiſtolæ præmittas, quæ nondum lucem aſpexit. Et ut nova tua illius Opuſculi editio ſit accuratior, mitto ad te exemplar manu exaratum, quod edito videtur caſtigatius. Eſt etiam operæ pretium ut his adjungas ea Diſquiſitionum Criticarum Capita, in quibus Iſaaci Voſſii aſſertiones de Codice Ebraico Judæorum, de Septuaginta Interpretibus & Hexaplis Origenis refelluntur: nam iſta ad præſens argumentum pertinent. Hæc Opuſcula, vir optime, fidei tuæ committo, qui ſciam te ſacrarum Literarum amantiſſimum. Vale.*

Kalend. Februarii anno 1685.

CASTIGATIONES

ad Opuſculum ISAACI VOSSII de Sibyllinis Oraculis & Reſponſionem ad Objectiones nuperæ CRITICÆ SACRÆ.

AUctor Criticæ Sacræ in Vetus Teſtamentum Simonius in Iſaaco Voſſio, quem nimio Græcæ verſionis affectu abreptum exiſtimabat, moderationem requierat. Sed vir doctus, qui *Chriſtum in Apocalypſi tepidos evomere* novit, *nihilque Deum amare quod medium ſit*, animo longè obſtinatiori acceſſit ad ſcribendum opuſculum de Sibyllinis Oraculis, in quo ad id unum reſpexiſſe videtur, ut elevatis pro ſuo more Judæorum codicibus, Græcos Interpretes in majus extolleret. Ita etiam reſpondet Simonio, ut eum potiùs animo à Rabbinis præoccupato ad ſcribendum ſe accinxiſſe ſcribat, exemplo Hieronymi, qui *primus Chriſtianorum Rabbinicam condidit verſionem, & alios ad idem audendum ſignifer præceſſit.* Profitetur Voſſius ſe non Rabbinos, ſed Chriſtum ſequi Magiſtrum, & in ea quam Chriſtus ipſe approbavit verſione acquieſcere; Simonioque auctor eſt ut ceſſet novam ſacrarum literarum moliri verſionem, quòd purior magiſque genuina introduci nequeat Scriptura quàm illa quæ à Chriſto & Apoſtolis nobis tradita eſt. Placet quidem in hoc Voſſius quod Græcis Interpretibus plurimum tribuat; plus etiam placiturus, ſi non eos ab omni prorſus errore immunes affirmaret, atque ab illis ne quidem in minutioribus recedendum eſſe, utpote qui Prophetæ, non Interpretes, ipſi videantur. Laudo præterea eximii illius viri diligentiam in aſſerenda à maledicentiſſimorum hominum calumniis LXX. Seniorum tralatione, & in expurgandis eorum codicibus. Verùm ubi de rebus Judæorum eorumque libris agitur, ſummam præ ſe fert in his vir doctus inſcitiam, falſaque paſſim pro veris conatur obtrudere. Totum iſtud negotium exemplis aliquot fiet illuſtrius. Quare nonnulla ex clariſſimi illius viri opuſculo de Sibyllinis Oraculis & Reſponſione ad Objectiones Criticæ Sacræ

Voſſ. in Reſp. ad Obj. nup. Critic.

Idem Voſſ.

5130 .858 .2
WITHDRAWN

Sacrę seligam, ex quibus manifestum erit illum de rebus parùm sibi compertis decreta tulisse. Sumam itaque exordium ab Epistola quam opusculo de Sibyllinis Oraculis præmisit.

Voss. in Epist. ad Thom. Brun. Primâ fronte in hac Epistola Vossius virum Hebraicè doctum miris modis traducit veluti *fatuum, Semi-Rabbinum & insignem nebulonem*, qui verba Hieronymi nequissimè interpolata produxerit. Verùm ex hoc potiùs B. Hieronymi loco qui in controversiam vertitur, Semi-Rabbini isti Sibyllistam Vossium tanquam falsificum in jus vocabunt, qui doctissimi illius Patris verba à se minimè intellecta perverterit, protuleritque tum editos tum manu exaratos Hieronymi codices perpaucis cognitos. Locus de quo agitur extat his verbis conceptus in Quæstionibus seu Traditionibus Hebraicis in Genesim ejusdem Hieronymi. *Hebræi quod sequitur*, Et nescivit cùm dormisset cum ea, & cùm surrexisset ab ea, *appungunt desuper quasi incredibile & quod rerum natura non capiat, coire quempiam nescientem.* Testatur Vossius complura se consuluisse exemplaria MSS. & in omnibus scriptum inveniisse *apponunt* pro *appungunt*. Verius dixerit in nullis qui probæ notæ fuerint codicibus se inveniisse *apponunt*. Quis enim sensus ex his verbis formari posset, si pro *appungunt* repositum fuerit *apponunt?* Unde autem codices illos sumpserit non refert. Sed ut veniamus ad rem, nihil causę fuit cur Vossius verba contextûs Hebraici perverteret, veritus scilicet ne ex ista dictione *appungunt* punctorum antiquitas inde jam à temporibus Hieronymi defenderetur. Fatentur enim saniores Critici, ejusmodi puncta Hieronymi ætate longè recentiora esse, qui tamen haud inviti agnoscunt istud punctorum genus quorum hoc loco meminit Hieronymus, quæque supra dictiones aliquot Hebraici contextûs apponuntur, eâdem ferme ratione quâ Samaritæ & Syri lineolas quasdam transversas super quædam vocabula appingunt, quę haud dubiè à Grammaticis seu Criticis inventæ sunt. Judæos tum antiquos tum recentiores habet sibi consentientes hac in parte Hieronymus: de his mentio fit in Talmude in Medraschim, seu Commentariis Judęorum Allegoricis in Scripturam, & in Masora. Ea quoque repræsentant hodierna Bibliorum exemplaria non secus atque Hieronymi ætate, & in plerisque ad dictionem בקומרו de qua in præsentia disputatur, ad oram codicum hæc additur notatio נקוד על *punctum super literam Vau.* In Bibliis Venetis editis in minori forma à Petro Bragadino, Genesis Capite 37. ubi simile punctum occurrit ad dictionem את extat

Hieron. Tradit. in Genes.

Genes. 19: 33.

Edit. Venet. in 16. ann. 1615.

tat in margine hæc nota, חד מן טו׳ נקודות בתורה *unum ex punctis 15. quæ sunt in Lege.* Rationes ejusmodi punctorum quales reddantur à Judęis, quorum anima est ineptiendi pruritus, silentio prætermitto, quia ineptę sunt. Satis est annotasse Judęos ejusmodi puncta ex paterna traditione in exemplaribus suis dudum retinere.

Deplorat deinde in eadem Epistola Vossius miserum hoc tempore in Germania Academiarum statum, ubi tam impunè grassatur Rabbinismus, nullaque excolitur Theologia nisi Rabbinica. Fieri non posse existimat vir doctus, ut humaniores literæ tractentur ubi Rabbinismus regnat, strigesque Rabbinicæ latè dominantur. Nec in his secum dissidentem me habebit Vossius. Auctor quoque fuerim ut nugivendi isti Theologastri, qui spretis literis Græcis & Latinis, nihil præter Rabbinorum commenta admittunt, ex Theologorum albo expungantur. Verùm ut his etiam adscribantur viri eximiè docti, qui exemplo Origenis, Hieronymi, Chrysostomi, Theodoreti, aliorumque Patrum frequentant Judæorum limina, vix ferre possum. Nugas quidem easque maximas plerique Judęorum libri præferunt: at non pauci sunt ex eorum classe Magistri qui Sacras Literas mirè illustrârunt. Rem ita esse apertè docent unius Hieronymi in Prophetas Commentarii, qui doctissimos ętatis suæ Judæos consulere non erubuit. Delicatulo Vossio Hieronymus vilis est & Theologorum Semi-Rabbinorum princeps. Semi-Rabbinus tamen iste, etsi suos quoque nævos habeat, reliquos Ecclesiæ Patres in exponendis Sacræ Scripturę libris longo intervallo superavit. Optârim quoque ut in Semi-Rabbinorum castra priùs transeat Vossius, quàm res illorum tractet: vix enim à risu temperant Semi-Rabbini isti, cùm legunt in Epistola quam præmisit libello de Sibyllinis Oraculis, ne sex quidem effluxisse secula ex quo primùm usurpari cœperunt puncta ista vocalia, quibus hodierni Judæorum codices onerantur: hos tria vel quatuor secula acerrimè inter se conflixisse, dum alii sic, alii aliter inducendas esse vocales censerent; & ne nunc quidem controversiam hanc fore sopitam, nisi Daniel Bombergus litem istam diremisset conductis aliquot Judæorum centuriis; atque ita demum istas vocales primùm Venetiis ex officina Bombergi in lucem prodiisse. Habuit profectò vir doctus Bibliothecam Rabbinorum libris bene instructam, ex qua hausit

commenta ista plusquam Rabbinica. Primò siquidem nôrunt qui sunt in Judæorum libris volutati, jam ante Bombergianas Bibliorum Hebraicorum editiones in aliis Italiæ partibus, maximè Brixiæ, edita fuisse Biblia Hebraica punctis vocalibus adornata. Reperiuntur etiam Bibliorum exemplaria inde à CCCC. aut D. annis manu exarata quæ eadem puncta præferant, laudanturque à Rabbinis antiquioribus Biblia Hebraica quæ puncta ista exhibeant. Similiter non à DC. solùm, sed à DCCCC. & ampliùs annis usurpata sunt ista
R. Saad. puncta. Rabbi Saadias Gaon librum scripsit de re Grammatica sub annum DCCCC. in quo de punctis vocalibus, quæ longè ante illius ætatem apud Judæos in usu fuerant, multis disputat. Præterea ficta sunt ea omnia quæ de gravissimo inter Judæos conflictu affert Vossius, quonam scilicet modo apponendæ essent vocales contextui Hebraico. Ex eadem quoque officina prodiit quod habet vir doctus de editionibus Bombergianis, quæ ex complurium Judæorum sententia mendis scatent. Spernunt quidem Judæi primam Bibliorum Hebraicorum Bombergianam editionem cui præfuit Felix Pratensis, quia scilicet notationes Masorethicæ ad oram illius exemplaris summâ rei illius insciti à adjectæ sunt. Verùm secundam & tertiam Bibliorum Bombergianorum editiones laudant & venerantur. De addendis quidem notis Masorethicis ad Bombergianas editiones maximæ subortę sunt difficultates, quia pauci sunt etiam inter Judæorum Magistros qui artem Masorethicam bene calleant; quas tamen improbo ac duro labore superavit R. Jacob Ben Hajim, primus Masoræ instaurator. Utrùm autem in alendis Judæorum, quos conduxerat Bombergus, centuriis patrimonium dilapidaverit, uti contendit Vossius, non anquiro, neque de hoc nunc agitur negotio. Complura iis quæ jam à me allata sunt facilè adjici possent, forsan nec ab instituto aliena; sed vereor ne vir doctus me tanquam Semi-Rabbinum ac Judæorum fautorem trahat in judicium. Quare ad illius de Oraculis Sibyllinis opusculi examen transeo, ubi eruditiùs de Judęis eorumque libris disputat.

Nonnulla affert statim ab initio operis vir inexhaustæ eruditionis de Sibyllinis Oraculis, quibus in Hispania præsertim abusi fuerint Judæi adversus Christianos. Hæc quæ minùs à commento quàm à vera historia videntur abesse, prænonet inserenda paginæ 19. vel 26. ubi tractat illud argumentum. Verùm cùm jam demonstratum fuerit Chronologiam ex Judæorum codicibus petitam minùs favere

vere Judæis ipsis quàm quæ ex Græcis Interpretibus sumitur, non est cur refellendis hac in re doctissimi Vossii inventis ampliùs detineamur. Jam quidem vir perspicacissimus animadverterat Judæos sub Aquilę tempora Hebręos codices deditâ operâ corrupisse, & bis mille annorum expunxisse tempus, ut tempus Messiæ necdum advenisse obtinerent: at hoc loco, longè oculatior, putat depravationis istius spatium utplurimum viginti duobus posse determinari annis, idque ex verbis Ignatii in Epistola ad Philadelphienses rectè confici. Scribit sanctissimus ille Martyr, referente Vossio, se audiisse nonnullos dicentes, si ea quę in Euangeliis continentur non etiam in Archivis, seu antiquis inveniantur monumentis, nolle se iis credere. Cùm ipse responderit, inquit Vossius, illi verò negaverint, manifestum Judæos jam tùm aut depravâsse sua exemplaria, aut recessisse à sensu quem Septuaginta tradidere Interpretes. Sed quâ ratione Ignatii responsum, qui asserit Christum sibi esse pro Archivis, ad suam de corruptis circa illud tempus à Judæis codicibus Hebraicis possit trahere sententiam vir doctus, fateor me non assequi. Neque etiam in germanis Epistolarum Ignatii exemplaribus, quę in lucem ipse edidit Vossius, reperiuntur verba illa, *Christo velut summo Sacerdoti credendum potius quàm aliis Sacerdotibus*; quę tamen quasi ad Ignatii responsum pertineant, profert vir doctus. Juvat hîc afferre ipsissima Ignatii verba. Ἤκουσα γάρ τινῶν λεγόντων, ὅτι ἐὰν μὴ ἐν τοῖς ἀρχείοις εὕρω τὸ εὐαγγέλιον, οὐ πιστεύω. Τοῖς δὲ τοιούτοις ἐγὼ ἔλεγον ὅτι ἐμοὶ ἀρχεῖά ἐστιν Ἰησοῦς ὁ Χριστός. *Audivi enim quosdam dicentes, Nisi invenero in Archivis Euangelium, non credo. His autem respondeo, mihi loco Archivorum esse Jesum Christum.* Ibi de Veteri Testamento non agitur cum Novo comparato, ut existimavit Vossius, sed de Hæreticis qui ab Ecclesiæ infantia orti fidem quam præmonstrabat Euangeliorum codex respuebant: unde factum fuit ut prisci Ecclesię Patres, Tertullianus, Irenæus & alii ejusmodi Hæreticos non tam ex sacris codicibus refellerent, quàm ex certa traditione, seu ex Christi doctrina per Apostolos eorumque successores viros Apostolicos in Ecclesiis diversarum gentium propagatâ. Quo sensu asserit Ignatius Christum, seu illius doctrinam, sibi Archivorum antiquorumque monumentorum loco esse. Is est, nî fallor, Ignatii verborum intellectus, qui unitatem doctrinæ in Christo commendat, cujus spiritus quibuslibet Archivis debet anteferri. B. Ignat.

Multa

Multa etiam hoc loco affert Vossius de vocis *Æra* origine, sentitque cum iis qui *Æram* & *Hegiram* Arabum idem vocabulum arbitrantur; nec id videtur extra probabilitatem: sed quod mox subjungit de nomine *Hegiræ* Arabicæ, quasi ductum fuerit ex Hebræo הגר *hagger*, proselytus, non est ita probabile. Putat vir doctus complures Judæos è secta Herodianorum relicto suo Messia Herode, qui semper ab ipsis vocatus fuerit הגר *peregrinus*, ad Mahometum transiisse, & ab iis quoque dictum *hagger*. *Cùm Judæi*, inquit Vossius, *Messiam peregrinum seu proselytum fore crederent.* Ista profectò à commentis Rabbinicis minùs recedunt. Deinde ex quo Sibyllarum oraculo didicit vir doctus Judæorum Messiam ex ipsorummet Judæorum sententia proselytum fore & peregrinum: hanc enim assertionem Prophetarum vaticiniis & Euangelicæ historiæ contrariam esse nemo nescit. Unum quidem præ cæteris Messiam Judęi exspectant, de quo in præsentia loquitur Vossius: at iste ex Judæorum omnium consensu futurus est natione & ritibus Judęus. Verùm alios præterea Messias exspectant, eoque nomine insigniunt Reges quoslibet qui erga illos bene affecti sunt. Quâ ratione Cyrus Judęorum Messias appellatus est. Sic quoque Herodes & Mahometus Messiæ nomen à Judæis reportare potuerunt. Parati sunt etiam hâc nostrâ ętate Regem illum aut Principem quemcunque qui res illorum & ritus patrios tueri voluerit, tanquam Messiam suum salutare. Verùm ista ad nomen *Hegiræ*, quod constat Arabicum esse, non Hebraicum, minimè pertinent. Magis ad veritatem accedit quod post nonnulla interjecta subjicit vir doctus de genuina vocis ἀπόκρυφος significatione, ita ut ἀπόκρυφος idem sit quod κρύφιος, librique Apocryphi iidem fuerint qui arcani & inaccessi. Sed quis cum Vossio inde conficiat scripta illa Apocrypha, quæ ex ejus sententia olim Veteris Testamenti libris conjuncta fuêre, & à priscis Judæis approbata, digna fuisse quæ cum cæteris libris Propheticis in Scripturarum Canonem referrentur? hodiernum tum Synagogæ tum Ecclesiæ Canonem mutilum & decurtatum esse, qui Enochi, Eliæ aliosque ejusdem naturę libros non complectatur? Vili veneunt apud Vossium Prophetę, qui non modò LXX. Interpretes inter Prophetas recenseat, sed & his quoque adscribat celeberrimos impostores, qui ementitis Patriarcharum & Prophetarum, nec non virorum aliquot magnę apud Gentiles existimationis nominibus, libros

Adami,

Adami, Enochi, Abrahami, Moyſis, Eſaiæ, Hieremiæ, Hyſtaſpis, Mercurii Triſmegiſti, Zoroaſtris, Sibyllarum, Orphei, Phocyllidæ & complurium aliorum libros in lucem protulerunt. Brevi, ſi ſuperis placet, etiam inter Prophetas Voſſius tanto Prophetarum ſtipatus agmine nova procudet vaticinia, non ſecùs ac famoſus ille impoſtor Guilhelmus Poſtellus, qui ſcribit Chaldæos doctrinam etiam revelatam habuiſſe in ſua prima Monarchia, & continuè inſtar ſacræ doctrinæ per decem Sibyllas eſſe inſtauratam, ut eſſet omnino apud ſpiritum Dei inexcuſabilis mundus, Chriſtuſque ſacrarum & Sibyllinarum doctrinarum Rex ab univerſo orbe adorandus innoteſceret. His ferè ſimilia de Sibyllinis Oraculis affert Voſſius. Oculatior tamen adhuc Poſtellus Propheticam iſtam doctrinam aſſerit ortum habuiſſe à fœmina principe totius Orientis proximâ ſanguine ipſi Noacho. Quis credat Iſaacum Voſſium, qui nihil non virulenti paſſim in operibus ſuis adverſus Judæos eorumque Talmudem evomit, recenſuiſſe etiam inter Prophetas Doctorem Talmudicum? Si res ita ſit, miror illum tanto contentionis æſtu abreptum fuiſſe in virum Hebraicè doctum, quòd è Talmude Euangelia expoſuerit. *Minùs mihi peccaturus videtur*, inquit Voſſius, *qui ex Alcorano, quam qui ex Talmude exponat Euangelia.* Sed de his ſatis ſuperque; ad libros Apocryphos undè diverti tempus eſt ut redeam.

Guilh. Poſtell. de Orig. cap. 16. de ortu Sibyllin. doctrina.

Lightfoot.

Apocryphos appello Scriptores, ubi de rebus Biblicis agitur, illos quos in ſuum Canonem neque Eccleſia neque Synagoga receperunt. Hinc factum eſt ut olim Hieronymus Judæorum perſonam induens, & noviſſimè Cajetanus, libros complures inter Apocryphos retulerint, antequàm manifeſto Eccleſiæ decreto tanquam Divini & Prophetici recepti fuiſſent. Hoc ſenſu Hieronymus affirmat Danielem non habere apud Hebræos Suſannæ hiſtoriam, nec hymnum trium puerorum, nec Beli Draconis fabulas; *Quas nos*, inquit, *quia in toto orbe diſperſæ ſunt, vero antepoſito eaſque jugulante ſubjecimus, ne videremur apud imperitos magnam partem voluminis detruncâſſe.* Haud abſimiliter alio loco, poſtquàm Scripturæ libros qui in Judæorum Canone erant protulit, mox addit, *Quidquid extra hos eſt intra Apocrypha ponendum eſſe*; nimirum Sapientiam, quæ vulgò Salomonis inſcribitur, & Jeſu filii Sirach librum, & Judith, & Tobiam & Paſtorem. Africanus etiam ſimili ratione adductus, Suſannæ hiſtoriam à Scriptore Græco confictam putavit: alii duos Da-

Hieron. Præfat. in Dan.

Hieron. Præfat. in lib. Reg.

African.

nieles finxerunt; quorum primus Vaticinii, quod sub ejus nomine legitur, auctor fuerit; alter verò historiæ istius Scriptor, quæ in antiquis Græci exemplaris editionibus Prophetiæ Danielis præmittebatur: primus siquidem Hieronymus hanc historiam ad calcem ejusdem libri rejecit, quòd eam Judæorum codex, quem Latinum faciebat, non repræsentaret. Sententiam suam de Susannæ historia confirmat Hieronymus aliorum Patrum testimoniis. *Miror*, inquit, *quosdam* μεμψιμοίρως *indignari mihi, quasi ego decurtaverim librum, cùm & Origenes & Eusebius & Apollinarius aliique viri Ecclesiastici & Doctores Græciæ has, ut dixi, visiones non haberi apud Hebræos fateantur, nec se debere respondere Porphyrio pro his quæ nullam Scripturæ sanctæ auctoritatem præbeant.* Gregorius Nazianzenus, Melito Sardensis, & auctor Synopseos quæ sub nomine Athanasii circumfertur, ulteriùs progressi librum Estheris inter Apocryphos collocârunt, quòd linguam Hebraicam non callentes, ex eo solùm quòd antiquæ Estheris historiæ nonnulla à Græco Scriptore assuta fuerint, opus integrum expunxerunt. *Accidit*, inquit Sixtus Senensis, *ut propter has appendicum lacinias hinc & inde quorumdam Scriptorum temeritate insertas, liber ille quamvis Hebraicus apud Christianos auctoritatem canonicam non receperit.* Nicolaus quoque de Lyra, Cajetanus, & alii nonnulli hæc additamenta pro Canonicis non habuêre, similibus haud dubiè rationibus adducti.

Hieron. Proœm. Comment. in Daniel.

Gregor. Nazianzen. Melit. Sard. Pseudo-Athan.

Sixt. Senens. lib. 1. Bibl. Sanct.

Lyran. Cajetan.

Hæc paulò fusiùs quidem allata sunt, ut manifestum esset omnibus quinam libri ex vetustiorum Ecclesiæ Patrum sententia inter Apocryphos repositi fuerint. Apocryphorum siquidem vocabulo abusus Vossius, libros suppositititios & adulterinos veteribus Apocryphis adscribit, sicque fucum facit incautis & simplicioribus. Quod enim contendit vir doctus, libros Sibyllinos aliosque quos appellat fatidicos olim cum libris Veteris Testamenti conjunctos fuisse, lectos in primitiva Ecclesia, & à Paulo aliisque Apostolis commendatos, otiosi hominis est figmentum. Non alii enim in Ecclesia primitiva lecti sunt libri Apocryphi cæterisque Veteris Instrumenti libris adjecti in Græcis Bibliorum exemplaribus, quàm illi qui à Patribus recensentur; etsi interdum Patres nonnulli, ut Judæos, Gentilesque pressiùs urgerent, vocaverint etiam in auxilium libros Sibyllarum alioque ejusdem rationis, quos tamen nemo paulò cordatior inter Apocryphos, de quibus hoc loco agitur, numerabit. Dolet Vossius libros Sibyllinos & alios fatidicos, postquàm publico

blico edicto prohibiti ſunt, factos fuiſſe Apocryphos, interdictos, à nemine legendos, cùm antea palàm & religiosè non ſecus ac reliqui Veteris Inſtrumenti libri à Judæis legerentur: tum factum fuiſſe ut arctiori compendio quàm antea ſæpe libri ſacri conſtringerentur, & ex eo tempore *Apocryphi* vocabulum in ſequiorem ſenſum acceptum fuiſſe, quaſi idem eſſet liber Apocryphus qui ſpurius & dubiæ fidei. Interim Scriptores non laudat à quibus lepida iſta commenta hauſerit, quæ tamen parùm abſunt à fabulis Judaicis. Lubens à viro docto quæſierim, quod olim feſtivus ille Cardinalis Hippolytus Ateſtenſis ab Arioſto; *Dove ha trovato tante coglionerie?* Illi tamen aſſentior in eo quod ſcribit de Apocryphis, ſi per libros Apocryphos non alios intelligat quàm illos qui à Judæis ad Chriſtianos cum reliquis Veteris Teſtamenti libris tranſierunt, quippe partem maximam in Eccleſia Romana, in primis poſt Synodi Tridentinæ decretum, tanquam Canonici leguntur. Fieri potuit ut libri iſti qui inter Apocryphos olim recenſiti fuêre, quòd illos Canon Judaicus minimè approbaret, Prophetas etiam habuerint auctores. Nec contra iſta pugnat Joſephi auctoritas, qui affirmat à temporibus Artaxerxis certam non fuiſſe apud Judæos Prophetarum ſucceſſionem, adeoque qui ab eo tempore conſcripti ſunt libris Propheticis non debere adnumerari. Nam Prophetarum munus tunc omnino Judæis ſublatum fuiſſe veriſimile non eſt: quamdiu enim ſtetit Judæorum Reſpublica, tamdiu fuêre apud eos Scribæ publici qui res ætatis ſuæ chartis committerent, iique Prophetæ appellabantur, quia Spiritûs Sancti numine afflati erant, quanquam non fatidici. Imò ne quidem neceſſe eſt illos qui tunc temporis res Judaicas ſcriptis complectebantur Prophetas fuiſſe, quia Synedrii magni aſſeſſores, quos à Deo inſpiratos novimus, illorum opera recognoſcebant. Verùm cùm publica Senatûs Judaici auctoritas ejuſmodi libros in Canonem librorum ſacrorum nunquam retulerit, mirum videri non debet Patres pleroſque non recepiſſe illos tanquam Divinos, ſed ut Apocryphos & dubiæ fidei, comparatè ſcilicet ad alios ſacri codicis libros qui certæ erant fidei. Idem enim illis non fuit liber dubiæ fidei qui ſpurius atque adulterinus, ut exiſtimare videtur Voſſius; ſed certa ab incertis hoc titulo ſignare voluerunt: aliàs libri iſti priſcis Patrum noſtrorum ſeculis in Eccleſia lecti non fuiſſent, ſi quid ſpurii & adulterini in illis deprehenſum fuiſſet. Minoris tantùm illi erant momenti quàm li-

bri sacri, eosque idcirco Ecclesiasticos, potiùs quàm Divinos, Patres appellabant. *Legi quidem*, inquit auctor Expositionis Symboli quod tribuitur Ruffino, *in Ecclesiis voluerunt, non tamen proferri ad auctoritatem ex his fidei confirmandam.* Quâ etiam ratione eosdem libros in suis cœtibus legit Ecclesia Anglicana. Non puto tamen quemquam hactenus cogitâsse, si Vossium excipiamus, de introducenda in Ecclesiam librorum Sibyllinorum lectione.

Ruffin.

Novi quidem Patrum nonnullos librum qui inscribitur Pastor, multùm veneratos fuisse; Tertullianum quoque Enochi libellum quasi Divinum obtrudere conatum; imò contendisse Judæos à contextu Scripturarum libros complures removisse, qui Religionem Christianam illustrabant. Cui etiam sententiæ adhærere visus est Origenes, qui in epistola quam scripsit Africano de historia Susannæ, asserit Judæos multa à suis libris sustulisse, ne legerentur illa à plebeiis hominibus. Verùm ista & alia id genus, quæ perpaucorum sunt, quæque ab iis proferuntur ut suæ potiùs hypothesi quàm veritati serviant, communi Patrum sententiæ apponi nequeunt. Nam ipse Tertullianus commune illud Ecclesiæ placitum verbis suis hoc loco videtur confirmare. *Scis*, inquit, *Scripturam Enoch non recipi à quibusdam, quia nec in armarium Judæorum admittitur.* Itaque temporibus illis judicabatur istud Apocryphum, seu dubiæ fidei, quod Judæi in suum Canonem non admiserunt. Aliud etiam sentit aliis locis Origenes, quàm quod scripsit Africano. Verum hoc loco Susannæ historiam & alia additamenta quæ præfert Græca LXX. Interpretum editio, non aliâ ratione tueri potuit, quàm recurrens ad libros Apocryphos, ac supponens Judæos in exscribendis suis codicibus non paucos à plebeiorum cognitione removisse quæ in istis Apocryphis expressa fuerint. Didicerat forsan Origenes à Judæis, quorum frequenti commercio utebatur, Esdram ejusque socios non omnes qui tunc extabant libros in publicum edidisse, & hinc confici posse existimabat, Græcos Interpretes ea sumpsisse quæ in Hebræis codicibus non leguntur. Sed hæc sententia à communi priscorum Judæorum consensu recedit, qui perfectam & in omnibus accuratam contextûs Hebræi concordiam agnoverunt. Neque aliam ob causam inventa fuisse videtur ab Origene & aliis nonnullis, quàm ut veritas Hebraica cum Græcis exemplaribus, de quorum sinceritate non parva erat dubitandi ratio, conciliaretur. His accedit, Origenem non tam ex sua mente in hac ad Africanum epistola

Tertull.

Origenes.

Tertull. de habit. mul.

Origenes.

loquutum

loquutum fuisse, quam ut codices qui tunc in Ecclesiis legebantur, defenderet.

Objicit præterea doctissimus Vossius, virum inexhaustæ doctrinæ Clementem Alexandrinum scribere Apostolum Paulum remisisse ad Sibyllas & Hystaspis vaticinia, & commendasse eorum lectionem. *Clem. Alexand.* Si quæratur autem à Vossio, ubinam hoc dixerit Paulus, statim respondet sufficere nobis debuisse hoc Clementem virum sanctum & cum multis viris Apostolicis conversatum affirmâsse: verùm si responsionis istius habeatur ratio, priscos Ecclesiæ Patres ab omni prorsus errore immunes fuisse necesse est; quo nihil absurdius fingi potuit. Nôrunt quippe qui aliquam rerum Ecclesiasticarum cognitionem habent, quam vafrè prisci illi Patres, atque in primis Clemens Alexandrinus, cum Judæis ac Gentilibus disputârint. Contendit etiam Vossius, librum Enochi aliosque similes libros fatidicos ex eo solùm rejiciendos non esse, quòd in Fragmentis aliquot quæ supersunt multa superstitiosa & magica contineantur, cùm Balaamus Magus & Incantator fuerit, qui tamen futura Christi mysteria manifestè prædixit: quasi verò ea quæ de Balaamo in Scriptura referuntur, ad præsens institutum trahi possent, & hoc exemplo libros quos non solùm mendaciis superstitionibusque & fabellis refertos esse constat, sed & ab impostoribus qui clarissimorum virorum ementiti sunt nomina, profectos tueri liceret. Eâdem arte febricitantium Judæorum somnia in Zohare, Rabboth & Midras ab eodem spiritu quo profectum est Euangelium, inspirata fuisse auctor est Guilhelmus Postellus, qui affirmare veritus non fuit, ex doctrina Zoharis, tanquam quæ *à Spiritu sancto & spiritualibus auctoribus pendet eductum esse Euangelium. Chalanni*, inquit idem Postellus, *Syri, Indi, Chaldæi, Magi, Gymnosophistæ, Ægyptii & Prophetæ eâdem sunt origine.* *Postell. de Orig. cap. 17.* *Liber Zorobab.* A quo non multùm discedere videtur optimus Vossius, cui auctor fuerim ut Zorobabelis etiam vaticinium, quod de Messia clarè loquitur, fuitque à Judæis sermone haud impuro & prophetico editum, in fatidicorum suorum classe collocet. Sed his valere jussis, id quod nostri est instituti persequamur.

Præter hactenus allata de libris Apocryphis, animadvertendum est non solùm Judæos sibi Canonem Scripturarum condidisse, sed & suum quoque Canonem habere Ecclesiam, quæ auctoritate suâ communivit plures libros quos Judæi expunxerant. Ita Augu- *August. lib. 18. de Civit. Dei, cap. 36.*

stinus asserit libros Maccabæorum non à Judæis, sed ab Ecclesia pro Canonicis accipi: quod de duobus tantùm primis Maccabæorum libris intelligendum est: tertium enim Ecclesia non minùs quàm Synagoga respuit. Cui etiam sententiæ videtur accessisse Hieronymus; etsi passim in suis operibus strenuissimum Canonis Judaici defensorem se præbeat. Ruffino enim objicienti, Hieronymum nullam Scripturæ Sacræ auctoritatem tribuisse in sua Bibliorum editione Susannæ historiæ, hymno trium puerorum ac Beli Draconis narrationibus, quas appellaverat fabulas, respondet doctissimus Pater, non se quid sentiret dixisse, sed quid Judæi contra Christianos dicere soleant explicâsse. Dixerat tamen Hieronymus, Origenem, Eusebium, Apollinarium & alios Græciæ Doctores pro his visionibus, quæ nullam Scripturæ auctoritatem præbeant, Porphyrio noluisse respondere. De libro quoque Judith hæc scribit idem Hieronymus: *Hunc librum Synodus Nicena in numero Sanctarum Scripturarum legitur computâsse:* ad quæ hæc animadvertit Erasmus: *Non affirmat approbatum hunc in Synodo Nicena, sed ait* legitur computâsse. Revera Hieronymus Præfatione in librum Regum, tum Judith tum Tobiam in Canone esse negaverat. An contraria his locis loquitur Hieronymus, qui secum etiam in hoc dissidere videtur, quòd eosdem Tobię & Judith libros apud Hebræos inter Hagiographa legi affirmet, qui & jam alibi scripserat hosce libros non exstare in Canone Judæorum, adeoque inter Apocrypha reponendos? Quæ sint illa Hebræorum Hagiographa, de quibus his locis loquitur Hieronymus, fatetur se ignorare Josephus Scaliger, quia Hagiographa à Judæis longè ante Hieronymi seculum in Scripturarum Divinarum Canonem recepta fuerint. Sed in hoc decipi Scaligerum putat D. Huëtius, quòd nulla Hagiographa extra Canonem Hebræos habuisse censuerit, affertque adversus Scaligerum famosam illam *Bath kol*, seu *Filiam vocis*, cujus ope Judæi scriptiones Hagiographas & à Deo inspiratas ediderint. Verùm mera sunt otiosorum hominum somnia, quæ Doctores recutiti de *Bath kol* commenti sunt. Deinde constat illos nunquam in suum Canonem recepisse libros Judith & Tobiæ. Itaque ficta sunt ea quæ de duplici apud Hebræos Hagiographorum genere à D. Huëtio & aliis proferuntur, refellique possunt non solùm Josephi & Hieronymi testimoniis, qui Tobiam, Judith aliosque libros Græcè editos, quos nunc Canon Ecclesiæ Romanæ comprehendit, neque Propheticis nèque Hagiogra-

Ruffin.

Hieron. lib. 2. Apolog. adverſ. Ruffin.

Hieron. Præf. in Judith.

Eraſm. Schol. in hanc Præfat.

Hieron. Præf. in Tob. & Præf. in Judith.

Scalig. animadverſ. in Chron. Euſeb.

Huet. Demonſtrat. Evang. Prop. 4. de lib. Judith. Bath kol.

giographis à Judæis adscribi palàm testantur; verùm etiam Judæorum recentiorum auctoritate, qui in recensendis libris sacris nullam planè illorum mentionem faciunt, sed eos tantùm laudant tanquam scripta sententiosa, quibus tamen nihil divini inesse crediderunt. Si igitur hâc nostrâ ætate, imò jam priscis Ecclesiæ seculis, inter Canonicos numerati fuerint, id tribuendum est Ecclesiæ judicio, non Synagogæ. Quare duplex Canon statuendus est, Ecclesiæ scilicet & Synagogæ: à primo non malè dici possunt Ecclesiastici libri illi quos Ecclesia, non habitâ ratione Judaici Canonis, in suum Canonem voluit admitti & legi in suis cœtibus. Constat enim indè jam ab ipsis nascentis Ecclesiæ primordiis legi & cani consuevisse in congregationibus fidelium libros hosce, quos miratur Erasmus hodie passim legi & cani in templis. Sed rem ita esse discere potuit Erasmus ex libro Invectivarum Ruffini adversus Hieronymum. *Erasm. Schol. in Præfat. Hieron. in Dan.*

Hæc omnia egregiè illustrat Sixtus Senensis ab initio Bibliothecæ suæ, ubi libros Scripturæ Sacræ in duas classes partitur. In prima eos recenset, quos Protocanonicos seu Canonicos primi ordinis appellat; & hi sunt qui ex communi tum Judæorum tum Christianorum consensu extra controversiam recepti sunt: in altera autem classe eos reponit quos vocat Deuterocanonicos, seu Canonicos secundi ordinis, *qui olim*, inquit, *Ecclesiastici vocabantur:* illi nimirum de quibus inter Catholicos aliquando fuit anceps sententia, quique serò ad notitiam totius Ecclesiæ pervenerunt. Primi generis libris adscribit in Veteri Instrumento eos solùm quos in suum armarium admisit Synagoga; ad alterum verò genus revocat illos qui priscis Ecclesiæ seculis inter Apocrypha scripta à plerisque numerabantur; quibus etiam adscribit volumen Esther, quòd de illius auctoritate nonnulli Patres dubitaverint, uti jam annotatum fuit. Sola de auctoritate Hieronymi restat difficultas, qui contra Judæorum omnium fidem, imò & sui ipsius testimonium scripserit, libros Tobiæ & Judith apud Hebræos inter Hagiographa extare. Miror viros rei criticæ peritos non animadvertisse in Hieronymi Præfationibus in Tobiam & Judith legendum non esse *Hagiographa*, uti nunc legitur, sed *Apocrypha*. Licet enim desint codices manu exarati quibus lectionem hanc suffulciam, ipsamet Hieronymi verba illam manifestè ostendunt. *Librum utique Tobiæ*, inquit doctissimus Pater, *quem Hebræi de catalogo Divinarum Scripturarum secantes, his quæ Hagiographa memorant mancipârunt.* Quis *Sixt. Senens. lib. 1. Bibl. S.* *Hieron.* *Hieron. Præfat. in Tob.*

non

non statim deprehendat legi debuisse *Apocrypha*, non *Hagiographa*, cùm liquidò constet Judæos de catalogo Divinarum Scripturarum Hagiographa nunquam resecuisse? Similis prorsus ratio est Præfationis Hieronymi in Judith, ubi etiam pro voce *Hagiographa* reponi debet *Apocrypha:* sic enim in ea hodie legimus. *Apud Hebræos liber Judith inter Hagiographa legitur, cujus auctoritas ad roboranda illa quæ in contentionem veniunt minùs idonea.* Si idonea non est libri istius auctoritas ad res fidei stabiliendas, haud dubiè non est è libris Hagiographis, qui extra controversiam Canonici & inspirati apud Judæos habentur; sed ex Apocryphorum numero, seu scriptorum qui sunt dubiæ & incertæ fidei, quales existimavit libros Judith & Tobiæ Hieronymus. Hactenus de Apocryphis, quæ quidem fusiùs quàm postulabat instituti ratio, explicavimus. Sed rem disputantium contentionibus valde implicatam enodare à proposito nostro alienum non duximus.

Satis non fuit eruditissimum Vossium novos Prophetas finxisse veteribus longè oculatiores, novum jam librorum Scripturæ Sacræ ordinem hactenus inauditum procudit. Libri Mosis, ipso auctore, quinque constituunt volumina, non verò unum, ut Judæis visum est: & ut id à nemine possit vocari in controversiam, novæ illius distributionis rationes evidentissimas profert. *Constat autem*, inquit, *vel ex ipsis sacris literis, ut alias gentes, ita quoque veteres Hebræos non in codicibus, quod serum demum factum, sed in voluminibus & continuatis pellibus libros suos descripsisse.* Quid necesse fuerit ut ad veteres Hebræos recurreret Vossius minimè capio, cùm etiam ætate nostrâ Judæi in libris qui Synagogarum usui serviunt, ejusmodi voluminibus utantur: nec ideo tamen Legem in quinque partiuntur volumina; sed eam ex antiquo more, quem etiam Christi temporibus obtinuisse crediderim, unico volumine comprehendunt. Mox ulteriùs progressus vir doctus, affirmat ætate Aquilæ, quem vocat futilissimum Interpretem, Judæos, vel ipsum Aquilam, nequissimam & ineptissimam sacrorum librorum divisionem odio hebdomadum Danielis commentos esse, eosque pervertisse sensus & ordinem Scripturæ, inducendo novam distributionem, Legis videlicet, Prophetarum & Hagiographorum. Utrùm nova librorum distributio, modò libri integri sint, illorum sensum pervertat, judicent perspicaciores. Verùm ne minutiora consectari videar, dico longè probabilius esse Aquilam in vertendis sacris codicibus sequutum fuisse ordinem

Aquila.

dinem librorum quem ætatis illius exemplaria Hebraica præferebant, cùm mutationis illius ratio nulla appareat. Sed id fecit, inquit Vossius, odio Hebdomadum Danielis, quem rejecit extremo penè inter Hagiographos loco: quasi verò Judęi non æquè fidem habeant Danielis de Messia vaticiniis, ac Christiani. Miratur illorum simplicitatem Vossius, qui Rabbinis credunt asserentibus *Cetuvim*, seu libros Hagiographos, Spiritûs Sancti afflatu conscriptos. *Si Rabbinos*, inquit, *consulas, ridebunt, utpote gnaros quid per Spiritum Sanctum intelligant.* Cur jam factus Rabbinista Vossius Rabbinos istos non laudavit, ut ex illis cognoscamus quid per *Cetuvim* intelligant? Novi quidem Judęos de germana vocis illius significatione inter se non convenire; etsi omnes sentiant *Cetuvim* seu Hagiographos non minùs Divinos esse & Canonicos quam reliquos Veteris Instrumen- libros. Negotium istud ita explicat subtilissimus Abravanel. *Dicti fuêre* Cetuvim, *quia scripti fuêre in Spiritu Sancto: si verò ita sit, nomen* Cetuvim *ad id institutum non est, ut denotet sermones hosce scriptos fuisse in libro, non verò ex ore exceptos; verùm ut denotet scriptos fuisse in Spiritu Sancto & in illo gradu, neque fuisse cum ipsis Spiritum Divinum nisi in ipsa sua scriptione in hac lingua & sapientia.* Prophetiam in diversos gradus dividi, quorum unus alterum superet, affirmat R. David Kimchi: quos gradus subtiliùs explicat R. Moses Ben Maimon. Sed valere jussis ejusmodi subtilitatibus, quę ex Philosophia Aristotelis & Averrois desumptę sunt, constat Judęos hac in re cum Josepho consentire, quòd libri omnes qui extant in illorum Canone verè Divini sint ac Prophetici, quia scilicet à Prophetis conscripti fuêre. Unde R. Don Joseph Ben Jechaia, qui Commentariis suis Psalmos illustravit, eosque cum Patribus suis ad *Cetuvim*, seu Hagiographorum classem revocat, illos cum Lege Mosis comparat, maximamque inde colligit Psalmorum dignitatem. *Idcirco*, inquit Magister iste, *dignitas libri illius maxima est, quòd sequatur Legem Divinam, ejusque formam ac perfectionem imitetur.* Illud confirmat Patrum suorum auctoritate, qui Psalmos Prophetis ipsis videntur anteposuisse, quandoquidem illos Mosis Pentateucho adjungunt. Itaque, fatentibus ipsis Rabbinis, neque Danielis neque Davidis minuitur auctoritas, etsi in Prophetarum classe non recensentur. Hæc enim eodem loco mox subjungit R. iste Joseph modò laudatus: *Neque mirum est librum Psalmorum multa continere vaticinia de tempore Messiæ, cùm etiam in Spiritu Sancto interdum extent de rebus futuris vaticinia.* Hâc ar-

נקראו כתובים לפי שנכתבו ברוח הקודש.

R. D. Kimchi, Præf. in Psalm. Ramb. in More Nevok.

R. Don Joseph Jechaia, Præf. in Psalm.

te Judæi cum Christianis facili negotio conciliabuntur. Quodque videtur dignum animadversione, Talmudici Doctores librum Jobi volunt ab ipso Mose scriptum, qui tamen in classe *Cetuvim*, seu Hagiographorum, collocatur.

Talm. Baba bathra.

Quis credat Vossium è Rabbinista fieri Doctorem Talmudicum? Contendit Judæos, etiam fatentibus antiquis Rabbinis, multa sacrarum literarum loca expunxisse, utilitate suadente, & verba & sensus immutâsse. *Nihil à me*, inquit vir ille Talmudicus, *hîc fingi cognoscet, si quis Talmudicos adeat libros, in quibus pluribus locis hæc legas; Bonum est ut evellatur litera de Lege, & ut sanctificetur nomen Domini.* Verùm non licet omnibus adire libros Talmudicos, uti doctissimo Vossio. Crediderim decretum istud Talmudistarum rectè explicari posse verbis R. Mosis Ben Maimon, qui cum plerisque Judęorum Magistris ita Legis Mosaicę immutabilitatem defendit, ut quasdam illius constitutiones Synedrii magni auctoritate ad tempus rescindi posse existimet. Asserit Magister ille Talmudicus, Deum quidem prohibuisse Deuter. 4. ne quid ad verbum suum adderetur, neque etiam quidpiam ex eo detraheretur; verùm permisisse omnium temporum & ætatum sapientibus, seu domui judicii magni, sepes constituere ad judicia Legis stabilienda in rebus quibusdam quas volunt innovare ad sartam tectam conservandam Legis auctoritatem: Deum prętерea facultatem illis sapientibus concessisse quędam præcepta Legis tollere, & quædam prohibita permittere in certa quapiam re & casu, non autem in perpetuum. Hæc sumpta sunt ex Latina libri More Nevochim editione à Buxtorfio publicatâ. Similia his habet auctor libri cujus nomen Cozri, quique Hebraicè & Latinè etiam à Buxtorfio editus. Roganti enim Cozri, quomodo potestas illa innovandi quidpiam in Lege Divina stare possit cum verbis illis Deuteronomii, *Non ei addes, nec quidpiam ab ea detrahes*; respondet Judæus, hæc verba dici solùm de multitudine, ne quid ex suo ingenio innovet, sapiatque ex sua scientia; non verò de Senatoribus Synedrii magni, quia scilicet non unius fuit Mosis sanctiones condere, sed & aliorum quoque Prophetarum Sacerdotumque & Judicum, quibus idem Spiritus Dei interfuit. Is est, nî fallor, genuinus Talmudicæ doctrinæ sensus, quæ in eversionem verborum contextûs sacri trahi non potest, cùm de tollenda litera, imò dictione necnon sententia aliqua inter explicandum contextum illîc agatur, minimè verò de mutandis eradendisque ejusdem contextûs literis aut dictionibus.

Ramb. More Nev. part. 3. cap. 41.

Cozri.

Morinus

Morinus, à quo Isaacus Vossius id omne quod Rabbinologiam sapit in suis operibus mutuatus est, postquàm nihil non commentus fuit ut ostendat sacros codices à Judæis deditâ operâ corruptos fuisse, demum B. Augustini sententiam his verbis amplectitur: *S. Augustini sententiam de libris Judæorum ab ipsis de industria non depravatis lubentes amplectimur.* A quo tamen se in eo discedere profitetur, quòd Augustinus actionem illam incredibilem judicaverit, quia fieri non potuit gentem tam longè latèque diffusam conspirasse in pervertendis codicibus tam multis & tam longè latèque dispersis; ipse verò Morinus Augustino perspicacior contendit actionem istam *non modò Judæis esse credibilem, sed etiam ab iis haberi alterum fidei fundamentum.* Utrùm autem illud à Morino firmis probationibus demonstratum fuerit, non est hujus loci expendere: satis enim est ostendisse Morinum, à quo in plerisque dependet Vossius, adduci non potuisse ut crederet Scripturæ Sacræ libros à Judæis de industria depravatos fuisse; etsi Talmudistarum de evellenda litera è Lege pronunciatum non ignoraverit.

J. Mor. lib. 1. Exerc. 1. cap. 6. August.

Jam Vossius relictis Talmudistis ad Græcos Interpretes venit, totusque est in asserendo id omne quod supereſt linguæ Hebraicæ acceptum ferri debere LXX. Interpretibus; absque illis ne unum quidem verbum rectè exponi posse; nullas omnino versiones à Judæis, seu ad mentem Judæorum factas, bonas inveniri, quæ non sint à LXX. desumptæ Interpretibus; ubicunque ipsi deseruntur, ipsam quoque ibi deseri veritatem; demum ab illis Judæis petendam esse sacrarum literarum interpretationem, qui florente & superstite etiamnùm linguâ Hebraicâ sacros verterunt libros, sed non ab istis Judæis qui Christianæ fidei sunt hostes, quique sponte suâ fatentur se nescire Hebraicè. Jam his ferè similia pro evertendis hodiernis codicibus Hebraicis, & stabiliendâ veterum Interpretum auctoritate produxerat Joannes Morinus, quæ cùm à Ludovico Cappello, teste in præsenti materia locupletissimo, quem haud immeritò plurimi facit Vossius, gravissimis argumentis castigata fuerint, malim verbis doctissimi illius viri, quàm meis, optimo Vossio respondere. Primò itaque de Morino ait Cappellus, (nos verò de Vossio) facile esse ignaræ plebi fumos vendere, & *ad populum phaleras* jactare. Deinde veniens ad LXX. Interpretes, negat contra Vossii mentem, linguam Hebraicam fuisse illis vernaculam, quæ scilicet in captivitate Babylonica, à qua plusquàm CC. annis distabant, deperdita fuerit.

Ludov. Capp. in Apol. adverſ. Boot.

Addit illos ex Chaldaicæ & Syro, Chaldaicæ quâ Judæi tum utebantur, linguæ affinitate potuisse studio, labore ac frequenti sacrorum Scriptorum lectione atque diligenti examine linguæ Hebraicæ non mediocrem sibi comparare scientiam. Multa etiam potuisse illos ad linguæ illius & sacrorum librorum intelligentiam ex Patrum suorum traditione habere necessaria. *At eos*, inquit Cappellus, *omnia vidisse, omnia intellexisse, nullibi lapsos esseaut allucinatos nemo dixerit, nisi qui Hebraicè nihil scit, & qui eorum translationem cum Hebræo textu non contulit, etiam in iis locis in quibus illi non secus quàm nos hodie legerunt, ubi videre est frequentes eorum pueriles & pudendos lapsus, sæpè lapsus à genuinâ vocum & phraseon significatione, & sacrorum Scriptorum mente atque scopo.* Hæc & alia ejusdem generis plurima Criticæ suæ Sacræ inseruerat Cappellus,quæ expungi curavit Morinus,quia ad illius palatum non faciebant. Illa autem sumpsimus ex sermone apologetico ejusdem Cappelli adversus Bootium. Quid autem ad hæc respondeat Vossius non video, cùm & ipse noverit Cappellum ad scribendum opus suum Criticum non accessisse animo à Rabbinis præoccupato. Imò Semi-Rabbini isti quos sæpius traducit Vossius,de Cappello ejusque libro gravissimè conquesti sunt. Audiamus iterum verba ejusdem viri docti & in hoc studii genere exercitatissimi, quibus diversum planè & à Vossii sententia alienum fert judicium de versionibus illis quæ post LXX. Interpretes ex Hebræo factæ sunt. *Tribuatur sanè veteribus illis translationibus*, ait Cappellus, *sua cuique laus, gloria & honor ob earum antiquitatem & perpetuum Ecclesiæ usum; at ne tamen ubi manifestò vitiosæ sunt,aut mancæ & imperfectæ,præponatur earum vitium ipsi originariæ veritati atque authentico textui, neve præferantur illæ perversâ quâdam & iniquâ ac jurgiosâ & contentiosâ prorsùs invidiâ, aut potiùs damnandâ quâdam* κακοηθείᾳ, *aliis longè melioribus atque accuratioribus translationibus.* Potuit igitur melior & accuratior fieri sacrorum codicum translatio,auctore Cappello,quàm sit Græca illa LXX. Interpretum versio. His & alia complura possent adjici, quibus in præsentia supersedeo, ne sim molestus. Deinde cùm Cappellus non sit ex eorum hominum secta quos facetissimus Vossius appellat *asellos cassos lumine & intellectu, togulâ cinctos Professoriâ, pro clypeo gestantes Biblia Masorethica cum omnibus suis punctis*, facilè crediderim eum sine ullo negotio ad viri tam eximii sententiam de Græca LXX. Interpretum versione accessurum.

Ludov. Capp. in Apol. adverſ. Boot.

Voſſ. in Epiſt. ad Andr. Colv.

Iterum instat Vossius, contenditque omnes Judæos qui Christi præ-

præcessêre tempora agnovisse hanc solam versionem velut legitimam; usque ad tempora Aquilę nullam aliam lectam fuisse in omnibus Judęorum Synagogis præter illam LXX. Interpretum, ut in Ægypto, Asia & reliqua Syriâ, ita quoque in Judęa à temporibus nimirum Alexandri Magni, nullam præter Græcam auditam fuisse linguam, in urbibus præsertim oppidisque; ne in Hierosolymitanis quidem Synagogis aliam præter Græcam personuisse linguam; si Hebręa prælegeretur Scriptura, accessisse interpretationem Græcam. Quot verba protulit Vossius, tot effudit commenta. Primò enim ante conditam LXX. Seniorum versionem ab Esdrę temporibus constat non aliam in Judęorum Synagogis lectam fuisse Scripturam quàm contextum Hebraicum. Non enim ita linguę suę obliti fuêre Judęi in exilio Babylonensi, quin illa penès Prophetas, Sacerdotes ac viros principes remanserit, uti rectè monuit Josephus Albo præstantissimus Judęorum Theologus: & id haud invitus agnoscet Vossius, qui putet LXX. Interpretes sacros vertisse libros florente & superstite etiamnum Hebraicâ linguâ. Jam etiam post conditam LXX. Seniorum translationem saltem in aliquot Synagogis lectum fuisse contextum Hebręum, nec diffiteri poterit vir doctus, qui scribat Fl. Josephum Legem Moysis in Synagoga Hebraicè interpretatum esse, historiam belli Judaici, antequàm Græcè scriberet, linguâ Hebręâ edidisse; quo argumento refellit Vossius illos qui objecerant nescisse patrium sermonem, neque unquam codicem Hebraicum inspexisse, quibus opponit ipsamet Josephi verba, qui scribat excelluisse se in disciplinis patriis præ cęteris Hebręis, Græcam verò linguam non nisi per Grammaticam addidicisse, accuratâ verò pronunciandi ratione caruisse. Ergo etiam teste ipsomet Vossio qui pugnantia loquitur, non modò vilis popellus & ii solùm qui rure & in pagis versabantur dialecto utebantur Syriacâ; sed & viri principes, inter quos Josephus, qui linguam Hebraicam, aut magis Syriacam, vocat sermonem patrium, cujus pronunciandi ratio, quia erat paulò horridior, testatur se pronunciare vix potuisse Græcum sermonem, qui Hebraico, seu Syriaco, longè politior erat. Si lingua Græca in urbibus & oppidis erat vernacula, cur Josephus qui rure & in pagis educatus non fuerat, hanc per Grammaticam didicit? Sileo Christum & Apostolos Hierosolymis Syriacè loquutos, uti manifestum est ex libris Novi Testamenti. Quare figmentum est quod asserit Vossius de Hierosolymitanis Synagogis,

R. Jos. Albo.

Voss. in Castigat. ad Obj. Horn. Joseph. in fin. Antiq.

in quibus non alia audita fuerit lingua quàm Græca. *Quod si*, inquit vir doctus, *Hebræa prælegeretur Scriptura, accedebat interpretatio Græca; à solis quippe doctis intelligebatur vetus Hebraica lingua.* Mirus sanè ratiocinator Vossius, qui ex eo quòd docti solùm linguam Hebraicam intellexerint, concludit etiam Hierosolymis accessisse Græcam interpretationem. Longè veriùs dixisset, his locis ubi lingua Syriaca apud Judæos erat vernacula accessisse lectioni Hebraicæ sacri contextûs interpretationem Syriacam; in iis verò locis ubi apud Judęos vigebat sermo Gręcus accessisse Gręcam interpretationem. Sic etiam Hierosolymis in Synagoga Alexandrinorum qui Grękè loquebantur, non dubito quin sacer contextus primò Hebraicè pro antiquo Synagogarum usu non lectus fuerit, deinde Græcè ab aliquo interprete ex antiquâ etiam consuetudine Judęorum, qui inde jam à reditu exilii Babylonici, postquàm lingua Hebraica desiit esse vernacula, sibi prępositos habuerunt Interpretes qui verba Hebraica in patrium sermonem converterent, ut ab omnibus etiam plebeiis intelligerentur. Quo sensu exponenda esse Justiniani verba putaverim, quibus probant viri docti priscis temporibus in Synagogis Judęorum qui vulgò Helleniſtæ appellantur, lectam fuisse publicè Græcam LXX. Interpretum versionem. Si enim verba Novellæ Justiniani pensiculatiùs considerentur, manifestum erit in istis Synagogis Gręcam translationem venisse tantùm in auxilium contextûs Hebraici & velut illius interpretationem, quomodo Hierosolymis aliisque locis vicinioribus lectioni Hebraicæ adjungebatur interpretatio Chaldaico-Syriaca. Minimè tamen reluctans agnosco cum Vossio, etiam in Judęa linguam Gręcam aliquâ ratione obtinuisse, maximè apud viros primarios & magistratus, ita tamen ut sermo Chaldaico-Syriacus, quem eorum Majores è Babylone reportaverant, pręvaluerit: & ut ita credam non solùm adducor Josephi auctoritate, sed & compluribus Novi Testamenti testimoniis, ex quibus liquidò constat Christum & Apostolos Syriacè loquutos fuisse. Verùm de his infrà iterum locus erit differendi. Sunt & alia quędam quæ in opusculum suum de Sibyllinis Oraculis adversus Judęos eorumque codices Vossius conjecit: verùm cùm ea rursus inculcet vir doctus in Responsione sua ad Objecta nuperæ Criticę, satiùs erit ista omnia in unum collecta expendere. Videndum itaque an hac in parte felicior successus ei fuerit.

Justin. Nov. 146.

Voss. in Resp. ad Obj. nup. Crit.

Primâ fronte laudat Vossius auctorem Criticę Sacrę, quam Simonio

monio tribuit, quòd prisci Interpretes, LXX. scilicet & Cappelli Observationes, ei placuerint. Diligentiam quoque ejusdem Simonii, seu potiùs patientiam, in evolvendis Rabbinorum scriptis laudat & admiratur: sed quòd illorum expositionibus traditionibusque solo auditu propagatis aliquid solidi existimet subesse, & quidem tantum, ut eas sæpè non dubitet LXX. Interpretum præponere versioni, in eo se cum illo consentire non posse palàm profitetur; nec putat quemquam cordatum cum Simonio hac in parte consensurum. Cordatus tamen est Cappellus ille quem tanti facit Vossius, & quidem meritò; at in hoc de quo agitur negotio ne tantillum quidem Simonius discessit à Cappello, qui Morinum ejusque simiam Vossium perstringit tanquam homines intemperantes, qui perversâ quâdam & damnandâ κακηθείᾳ antiquas translationes aliis longè accuratioribus præferant. In hoc præterea Vossio displicet Simonius, quòd scripserit Hieronymum rectè aliquando recessisse ab antiquis Interpretibus, quasi verò antiqui illi ab omni prorsus errore immunes extitissent. Neque etiam in hoc Cappellum deseruit Simonius: ubi enim Cappellus loco jam suprà laudato pueriles lapsus in Græca LXX. Interpretum versione haud infrequenter deprehendi annotavit, hanc & Hieronymianam inter se comparat, præfertque Hieronymianam, utpote quæ meliorem sensum pariat; ac demùm ista subjungit: *Sexcenta possent, imò innumera ejusmodi proferri loca, in quibus ex eadem cum hodierna planè lectione Hieronymus longè aliter & feliciùs multo mentem sacrorum Scriptorum expressit, quàm LXX. quia nempe eorum laboribus & translatione adjutus & aliorum, Aquilæ nimirum, Symmachi, Theodotionis, &c. versionibus sublevatus, illorum hominum σφάλματα, cespitationes, allucinationes & aberrationes deprehendere potuit.* Nec aliud profectò de Hieronymo sentiunt qui Græcæ & Hebraicæ eruditionis habent aliquid, si unum excipiamus Vossium, qui exemplo Ruffini Hieronymum Judaico & à Rabbinis præoccupato animo ad cudendam novam contextûs Hebraici versionem accessisse existimat. Dudum evanuit, auctore in primis Hieronymo, illa Græcorum Interpretum Prophetia quam Majores nostri nimium venerati sunt. Verùm ad id quòd è re nostra est redeamus. *Ludov. Capp. in Apol. advers. Buxtorf.*

Recentium Rabbinorum expositionibus & eorumdem traditionibus solo auditu propagatis nihil inesse solidi contendit Vossius, eo præsertim adductus argumento, quòd traditiones quæ solo auditu propagantur, rarò solent ad duo vel tria perstare secula. Si res ita sit,

quâ

quâ ratione fieri potuit ut LXX. Interpretes post deperditam à duobus seculis linguam Hebraicam, sacri codicis versionem fecerint in omnibus absolutam, qualem fingit Vossius? Dicet haud dubiè nihil hac in re mirabile esse, cùm illi Prophetæ fuerint. Sed cuinam credemus, an Vossio affirmanti Græcos Interpretes fuisse Prophetas, an Hieronymo neganti? Verùm, inquies, Semi-Rabbinus est Hieronymus, qui novam & Judaicam contra communem Ecclesiarum consensionem ausus est translationem cudere. At Sibyllista est Vossius, qui novos Prophetas & Fatidicos hactenus incognitos commentus est. Judaica illa & Rabbinica Hieronymi versio suos habet approbatores, & quidem innumeros, eosque pietate & eruditione conspicuos. Nemo autem est ætate nostrâ qui sententiam Vossii de unica LXX. Interpretum versione recipienda amplectatur, si demas quosdam Socini discipulos, qui avidè illius opinionem arripiunt. Juvat rem ipsam penitiùs introspicere, naturamque traditionis cui contextûs Hebraici lectio innititur manifestam facere.

Res quidem Religionis, maximè quæ ad doctrinam à sensibus paulò remotiorem pertinent, unius traditionis ope absque scriptis per plura secula vix servari posse facilè concesserim. De rebus verò quas vocant disciplinæ & ceremoniarum, diversum planè ferri debet judicium, quia scilicet res istæ ferme quotidie in usum veniunt. Hoc potissimùm traditionis genus prisci Ecclesiæ Patres suis suffragiis approbant. Jam dico eamdem omnino esse linguarum rationem, quæ licet emortuæ nec ampliùs vernaculæ sint, adhuc apud Doctores obtinent, vigentque in Scholis. Ad hanc traditionis speciem revocamus linguæ Hebraicæ apud Judæos traditionem. Ex hac proculdubio factum est, ut etiam hodiernis temporibus Samaritæ eosdem Legis Mosaicæ codices habeant atque Judęi, si paucula excipias. Demum ex illa quoque traditione ortum, ut Judæi non modò Orientales & Occidentales de contextûs Hebraici lectione inter se consentiant; sed & illi qui *Carraim* apud illos nomen ex eo reportarunt, quòd, rejecto Talmude aliisque traditionibus parùm constantibus, Scripturæ adhæreant, & cum reliquis Judæis de ratione legendi sacri codicis in omnibus concordent. Explodenda igitur non est temerè traditio illa quam Carræi, qui pleraſque Judæorum traditiones respuunt, integram amplexati fuêre. Huc quidem multa possem congerere sumpta ex Judæorum libris, quibus probant Majores suos inde jam à Zorobabelis & Esdræ temporibus Scholas habuisse,

buiſſe tum apud Babylonios, tum apud Hieroſolymitanos; ſed his & aliis ejuſdem generis prudens ſuperſedeo, quòd non ſint ad palatum doctiſſimi Voſſii, cui Rabbinologia multùm diſplicet. Non ignoro complures Judæos, illos maximè qui ſunt è claſſe Grammaticorum, exiſtimare non ſolùm ſacros codices in exilio Babylonico variè diſtractos ac miſerè depravatos fuiſſe, uti ſentiunt RR. Kimchi & Ephodæus, ſed & linguam fere deperditam. Et cum his conſentiunt etiam Judæi qui ſunt è ſecta Carræorum. Ita enim ſcribit de hoc argumento Aaron Ben Joſeph, doctiſſimus Carræus. *Exules fuerunt Iſraëlitæ ex terra ſua in aliena, obſignataque eſt viſio ac Prophetia, parumque abfuit quin lingua Hebraica deperdita fuerit. Surrexerunt ſapientes Iſraëlitæ quibus Deus addidit Spiritum, & pertractarunt Scripturam quæ apud nos libros XXIV. complectitur.* Ex quibus manifeſtum eſt linguam Hebræam antiquitus omnino ſepultam non fuiſſe, etſi poſt reditum Judæorum è Babylone Hieroſolymis non ampliùs vernacula fuerit; ſed à Legis tantum Doctoribus conſervata. Sic dicitur Eſdras Scribę peritiſſimi munus prętſtans legiſſe ex pulpito Legem *coram multitudine virorum & mulierum.* Ex eo potiſſimum tempore ſuos ducunt Paraphraſtas Judæi, qui Legis verba ſermone patrio exponerent ut ab omnibus intelligerentur; nec aliunde ſuam duxiſſe originem crediderim Græcam LXX. Interpretum verſionem, de quibus poſteà mira commenti ſunt Judæi; eorumque ſomnia tam avidè arripuit Voſſius, ut exiſtimaverit illos ſolùm à Chriſtianis audiendos eſſe. Tùm in Synagogis & Scholis locorum ubi lingua Græca erat vernacula, lecta eſt Greca illa Judæorum Alexandrinorum tranſlatio, quæ in brevi temporis ſpatio ad reliquos Judæos qui Græcè loquebantur pervenit, quòd lingua Greca eſſet lingua dominantium. Non ideo tamen relicta eſt contextûs Hebraici lectio, ad cujus duntaxat auxilium veniebat Græca interpretatio. Neque id diffitebitur Voſſius, qui aſſerat Joſephum & Philonem, qui erat Alexandrinus, Hebraicè doctos fuiſſe. Quandonam igitur periit lingua Hebraica? An tempore Aquilæ, quem futiliſſimum vocat Interpretem Voſſius? Verum ipſe etiam agnoſcit, Origenis tempore Alexandriæ, & Hieronymi ætate Tiberiade, celeberrimas fuiſſe linguę Hebraicæ Scholas. Conſervatas autem fuiſſe poſt Hieronymum Tiberiadis Scholas, nemo ignorat, ex quibus tandem Criticorum illorum familia, qui vulgò Maſorethæ appellantur, nata eſt. Maſoretharum autem nomen obtinuerunt, quod Maſoram, ſeu legendi contextûs Hebrai-

Aaron Ben Joſeph, Præfat. Comm. in Pentat.

במעט היתרו לשון עבר נשכח מהם וגו׳

Nehem. cap. 8.

ci traditionem, ab omnibus Judæis tunc receptam beneficio notarum quarumdam, seu punctorum vocalium, intra certos limites clauserunt. En traditio Judaica, cui plurimum quidem tribuit Simonius; sed à qua non totus dependet, cum non parvi etiam faciat traditionem, seu lectionem contextûs Hebraici, quam Græci Interpretes sequuti sunt. Imò eam interdum Masorethicæ præferre non dubitat, quia scilicet neque à Græcis Interpretibus, uti Vossius; neque à Latino, uti plerique Ecclesiæ Romanæ Theologi; neque à Judæis, ut turba Protestantium, præoccupato ad scribendum animo accessit.

Verùm, inquit optimus Vossius, Judæi Christiani nominis sunt inimici, adeoque ab istis peti non debuit sacri codicis lectio. Quasi verò ars aliqua ab aliis sumi possit, quàm ab illis qui artem illam tractant. Sed iterum instat Vossius, fateturque lectionem hanc à Judæis quidem petendam esse, verùm à priscis illis qui Christi tempora præcesserunt; minimè verò à recentioribus Rabbinis, qui illam penitus ignorant. Et in hoc etiam cum Vossio consentit Simonius, quòd traditionem lectionis Hebraicæ sumat quoque ab illis antiquis Judæis; in hoc verò ab eo discedit, quòd non ab iis solùm, sed & ab Aquila, Symmacho, Theodotione, Hieronymo aliisque omnibus Interpretibus sacrarum literarum hauriendam illam esse putaverit: quia nimirum ars quælibet ex uno aut altero perfici nequit, sed ex omnibus simul collectis. Nullius Magistri legibus addictum se profitetur Simonius; negat ex vulgaribus Grammaticorum regulis perfectam haberi posse linguæ Hebraicæ cognitionem, quia sunt specialiores, & intra angustos nimiùm præceptionum limites claudantur. Censet præterea ad vetustos recurrendum esse Interpretes exemplo Hieronymi, qui non modo ætatis suæ Magistros consuluit; sed & modò LXX. Interpretes, modò Aquilam, modò Theodotionem & quemlibet alium sequitur, cujus interpretatio sibi videatur commodior. De nova instituenda versione, etiam ætate nostrâ, quæ cæteras omnes superet, non desperat. Neque enim verum est, ut sæpius inculcat Vossius, unum duntaxat Hieronymum à LXX. Interpretibus recedere ausum fuisse. Imò reliquos Patres sæpius videas ad Aquilę, vel Theodotionis, vel Symmachi versiones recurrere, quòd hę meliorem interdum sensum pariant. Longiùs profectò recedunt à Vossio, qui putet sublatis LXX. Interpretibus simul quoque tolli omnem quę supereſt linguę Hebraicę cognitionem; absque

que illis ne unum quidem verbum rectè exponi posse; Aquilam & alios Interpretes peccâsse ubicunque à vetere recesserunt versione; illum futilissimum esse Interpretem, qui ex Græca tantùm LXX. Seniorum translatione Hebraicè doctus non novas potestates vocibus Hebraicis affinxerit, sed eas solùm retinuerit significationes à Græcis illis interpretationibus positas, diverso tamen ordine, & alias notiones aliis locis accommodans. Istum tamen Aquilam, cujus versionem plenam futilibus vocabulis affirmat Vossius, haud infrequenter laudavit Origenes, qui de Aquila loquitur tanquam de homine qui verborum proprietates investigans, eorumque significationibus diligenter inhærens, eadem aptissimè interpretari studuerit. Ὁ κυριώτατος ἑρμηνεύειν φιλοτιμούμενος Ἀκύλας. Si autem easdem Aquila linguæ Hebraicę notiones diversis locis diversâ tantùm ratione applicuerit, expendenda sunt illa loca, judicandumque an rectè ab illis Interpretibus discesserit. Constat Hieronymum aliquando prætulisse Aquilam LXX. Senioribus, quòd hi Judæis favere sibi viderentur. Similiter Origenes putavit Aquilam locis compluribus dictiones contextûs Hebraici convenientiùs expressisse quàm LXX, nec ab eo dissentit Theodoretus. Commentum igitur est quod fingit Vossius, inter omnes scilicet antiquos Christianos neminem fuisse cui non majus Hebraicæ veritatis lumen affulserit, quàm omnibus seculi nostri Rabbinis & Semi-Rabbinis Christianis: nam ut optimè à Ludovico Cappello annotatum fuit, nihil est simul cœptum & perfectum. Septuaginta Interpretum translatio ab Aquila, Symmacho, Theodotione & ab Hieronymo emendata est, & quotidie emendatur, non secus ac Hieronymiana, à viris Græcè & Hebraicè doctis. Illa reliquis Scripturæ Sacræ versionibus in eo solùm præstat, quòd prima sit omnium translationum, à qua proinde qui postea sequuti sunt Interpretes non pauca ad instituti sui rationem hauserint. Nec dubito quin Philonis tempore, Alexandriæ aliisque locis ubi floruit lingua Græca, dictionum Hebraicarum Lexica extiterint sumpta ex versione LXX. Interpretum. His etiam adjutum fuisse Aquilam in cudenda nova sua translatione non inficiarierim: sed ut credam illum qui ab Origene, Hieronymo aliisque Patribus diligentissimi Interpretis cognomentum reportavit, Judæos ætatis suæ non consuluisse, vix adduci possum; & ut ita sentiret Vossius non aliunde permotus fuisse videtur, quàm ex præsumpta opinione, solos nimirum audiendos esse LXX. Interpretes, quibuscum

Origen. Comm. in Cap. 1. Genes.

linguæ Hebraicæ cognitio sepulta fuerit. Id omne quod in Aquilam regerit Vossius, de Hieronymo etiam dici potest, quem tamen constat Doctores Judæos ætatis suæ in condenda versione sua ex Hebræo in Latinum sæpius consuluisse, imò & ab istis sæpius quàm à Græcis Interpretibus dependere voluisse. Ubique enim testatur in operibus suis Hieronymus, se à doctissimis Judæorum Magistris ætatis suæ institutum fuisse. Similis est prorsus Aquilæ ratio, quem contentiosum aliquando appellat Interpretem idem Hieronymus, quòd dictionibus Hebraicis pressiùs adhærens, verba potiùs quàm sensum exprimat. Unde illum κακοζηλίας quidem, seu pravę affectationis accusat, minimè verò ignorantię; cùm hanc potiùs affectationem tribuat Origenes nimię illius diligentię. Verùm his diutiùs quàm par erat immorati sumus.

Nunc ad alia transit Vossius. Negat Scripturę sensum erui posse ex codice muto, quem nec legere, nedum intelligere quisquam sciat, utpote trunco mediâ sui parte, nec aliis, quàm quas Christianę fidei inimici apposuêre, instructo vocalibus. Satis non fuit Interpretes sacri codicis traduxisse, nunc ipsosmet codices accusat Vossius. Passim & usque ad nauseam in opusculo objicit mutum esse codicem Hebręum; quasi verò LXX. Interpretum temporibus minùs mutus fuerit quàm ętate nostrâ. Hęc est nimirum Orientalium scribendi ratio, ut sectentur compendia; neque illud vitium magis cadit in sermonem Hebraicum quàm in Arabicum, Chaldaicum & Syriacum, quorum etiam scribendi ratio compendiaria est. Exemplarium quibus usi sunt LXX. Interpretes melior non fuit conditio; verùm erat apud Hebręos, ut & apud reliquos Orientales, certa quędam legendi ratio usu confirmata, maximè apud Magistros, qualis etiam nunc extat. Nam etiam post inventa puncta vocalia plerique Orientalium libri absque istis editi sunt, neque tamen minùs eos legunt qui eorum linguas callent, quàm si punctis omnibus instructi editi fuissent. Samaritę codicem suum ejusmodi punctis nunquam onerârunt, imò neque ea exhibent Judęorum exemplaria, seu volumina, quę publico Synagogarum usui inserviunt. An ideo isti codices muti sunt? Suas quoque habent vocales Judęi quæ ab istis punctis minimè dependeant, ut & ipse Vossius non diffitetur: verùm istas Scribæ pro arbitratu suo modò adjiciunt, modò omittunt. Quare optimè animadvertit sapiens Aben Esra, vanum esse hac in parte Masoretharum laborem, qui

qui nimis anxiè annotant quoties dictio aliqua plenè scribatur, & quoties deficiat; id est, quandonam cum suis vocalibus repręsentetur. *Scriba*, inquit doctus Aben Esra, *interdum scribendo exprimit dictionem plenam, interdum verò deficientem, idque causâ compendii.* Si quis tum antiquos tum recentiores Interpretes inter se conferre voluerit, deprehendet ex illa vocalium præsentia vel absentia aliquid diversitatis in contextu transferendo contigisse. Neque etiam hodie hac in parte consentiunt secum invicem Judæorum Magistri, uti compluribus ostendit Simonius, qui non ob hanc causam de Judæorum codicibus detrahit; sed vitium illud, si quod sit, in linguarum Orientalium naturam rejicit. Hâc arte Doctores Mahumetani lectionem Alcorani adjectis ejusmodi notis, seu punctis vocalibus, constantem fecerunt, ne in varias partes pro cujusque arbitrio trahi posset. Laudanda est profectò Judæorum hac in parte diligentia, qui punctorum beneficio sacrorum codicum lectioni in posterùm consuluerunt. Certum est in qualibet ętate fuisse Masoram aliquam saltem apud linguę Hebraicę Doctores aspectabilem, quia semper certa fuit contextûs Hebraici legendi ratio; etsi illa nonnihil pro diversis ætatibus variaverit, ut ex diversarum translationum collationibus licet judicare. Quare totum istud negotium nunquam videtur intellexisse Vossius, qui scribat propter vocalium defectum eò miseros Judęos redactos fuisse insciticę, ut ne legere quidem scirent, nisi Hebraica verba Gręcis expressa literis adscriberentur, quibus vocalium resarciretur defectus. *Hunc scribendi morem*, inquit, *à Judæis acceptum, in Tetraplis & Hexaplis sequutus est Origenes, Hebraicis & Samaritícis opponens eadem Hebraica & Samaritica Græcis expressa literis, additis tantùm vocalibus, ut commodè legi possent.* Mira sanè hoc loco, ut & alibi passim, commentus est doctissimus Vossius: ut enim sileam merum illud esse figmentum quod affert de contextu Hebræo qui literis Samaritícis insertus fuerit Hexaplis Origenis, nemo sanus existimaverit Origenem hausisse à Judæis rationem exprimendi contextûs Hebraici Græcis literis; verùm ipse potiùs, ut linguæ suæ hominibus se accommodaret, verba Hebraica primùm Hebraicis literis, deinde Græcis characteribus expressit, ut etiam Hebraica legere possent qui nihil scirent Hebraicè. Judęi siquidem illis temporibus, ut & hodiernis, contextum suum absque punctis

Aben Esra, Præf. in Pentateuch.

vocalibus facili negotio legebant, nec aliis adjuti literis quàm Hebraicis non solùm Rabbinorum libros legunt, sed & alia quælibet opera diversis sermonibus concepta. Sic habent Bibliorum versiones Græcas & Hispanicas non Græcis & Hispanicis exaratas characteribus, sed Judaicis, quarum specimina aliquot hîc subjiciam, ut peritiores inde judicent, an ita miseri sint Judæi, ut linguæ suæ dictiones exprimere nequeant nisi externarum linguarum characteribus; cùm & ipsi aliarum gentium linguas Judaicis literis haud infeliciter exprimant. Ita in Græca Pentateuchi interpretatione à Judæis Constantinopolitanis editâ, legimus Hebraicis literis, או קיריוש ὁ Κύριος, או תאוש ὁ Θεός, פרוש πρὸς, טו אורוש τὸ ὄρος, אקיני ἐκείνη, קי καὶ, & alia ejusdem generis innumera, quibus Judæi quidem puncta vocalia adjiciunt, sed quæ videntur inutilia; cùm etiam sine his vix aliter legi possint. Eadem planè ratio est sermonis Hispanici, à quo puncta quoque vocalia possint abesse sine ullo germanæ lectionis detrimento: quo pacto legimus, אין איל מונטי *En el monte*, אשטאר *Estar*, ויאיידי אה דילנטי די ווש א לה טיירה *Veedi à delante de vos à la tierra*, איל גרנדי ריאו *El grande rio*, אי ואישטריש פדריש *A vuestros padres*. Ex his manifestum est linguam quoque Hebraicam suis non carere vocalibus: possemque huc congerere alia diversarum linguarum specimina Judaicis expressa characteribus sine ullis punctis vocalibus, quęque ope literarum in primis אוי, seu *Aleph*, *Vau & Jod*, quas vulgò lectionis matres Judæi appellant, facilè & promptè leguntur. Contigit tamen ut Scribæ pro suo arbitrio, uti jam annotatum fuit, haud infrequenter vocales istas prætermiserint: unde tandem orta est non minima inter codices Bibliorum manu exaratos discrepantia, quæ adhuc conspicitur in exemplaribus optimæ notæ, longèque major erat ante criticas Masoretharum notationes, ad quas plerique codices castigantur.

Res etiam ista exemplo aliarum linguarum, quæ Hebraicæ affines sunt, Arabicæ nimirum, Chaldaicæ & Syriacæ, potest illustrari. Non aliis dudum utuntur literis Persæ & Turcæ, quàm Arabicis, quas ad usum suum nationes istæ accommodârunt. De Persis hæc habet Texeira. *Quando los Arabes entraron la Persia y la sennorearon, introduxeron en ella sus characteres y modo de escrivir, al qual los Persios se applicaron y accommodaron, de suorte que olvidaron y se perdio totalmente el proprio suyo.* Sed frustra his immoramur: nemo enim

Texeir. Histor. Pers. cap. 22.

enim ignorat Persas & Turcas non aliis uti characteribus quàm Arabicis, qui in negotio de quo agitur Hebraicos omnino referunt. Nec quidquam ad propositum facit quod mox subjungit exemplum Vossius, petitum ex scriptis Homeri & Virgilii operibus, si vocalibus destituta ad nos usque pervenissent; quandoquidem maximum est discrimen inter linguas Græcam & Latinam, atque inter Hebraicam, Chaldaicam, Syriacam & Arabicam; cùm hæ punctis vocalibus destitutæ non idcirco vocalibus penitus destituantur. Adjicit & aliud commentum vir doctus, rationem hanc scribendi, Græcis scilicet literis, viguisse apud Judæos per annos fere mille, nempe usque ad tempus Masoretharum, qui ante sexcentos fere annos, neglectâ hâc duplici scripturâ, sequuti Syros & Arabes apices, & puncta invexêre quibus vocalium loco uterentur. Verùm inde jam ab octingentis annis scripsit R. Saadias opuscula quædam de re Gram- *R. Saad.*
matica, ex quibus constat etiam ante illa tempora ejusmodi puncta vocalia Bibliorum codicibus adjecta fuisse. Quorsum meminit Masoretharum, quos punctorum inventores fuisse non diffiteor, cùm & ipsi diu ante Magistrum Saadiam floruerint? Verùm, inquit Vossius, adeo recentia esse puncta vel ex eo satis est manifestum, quòd nullus liber, nullumque appareat monumentum, quod quidem quingentis annis sit vetustius, in quo ista compareant. Simili ratione dixerim ante sexcentos annos nulla fuisse Hebraica Bibliorum exemplaria, quòd non inveniantur ætate nostrâ quæ majorem præferant antiquitatem: sed pudet in his refellendis, quæ apertè falsa sunt, longiùs detineri. Monumenta produxit Simonius longè antiquiora in quibus puncta compareant. Invehitur præterea in Judæos Vossius, eosque pravas & perversas vocales plerisque vocabulis aptâsse colligit ex propriis nominibus quæ in Euangeliis & in veterum Judæorum passim occurrunt monumentis; *ut necesse sit*, inquit vir doctus, *aut ineptissimè & nullo judicio hodierna esse apposita puncta, aut Christum & Apostolos, omnesque adeò veteres Judæos, Prophetarum & proavorum ignorâsse nomina.* Verùm non animadvertit optimus Vossius, illa eadem nomina hodiernis etiam temporibus à Judæis diversarum nationum diversâ ratione efferri ac scribi, si in patrium sermonem transferantur. Ea siquidem aliter scribunt Itali, aliter Hispani, & aliter Germani. Ad antiquam tum scribendi tum pronunciandi rationem magis accedunt Hispani, quia simplicior est illorum pronunciatio; Judæi verò Germani à genuina

nuina tum scriptione tum pronunciatione cæteris omnibus longiùs recedunt: idque manifestò colligitur ex libris quos Italicè, vel Hispanicè, vel demum Germanicè conscripserunt, in quibus dictiones Hebraicæ diverso planè modo & aliis literis exprimuntur. Constat tamen illos hanc scriptionis diversitatem ex diversis Hebraicorum exemplarium lectionibus non hausisse. Sed pronunciationis vitium, quod ex vulgari sermone oritur, secum etiam trahit scripturę vitium; unde factum est ut plerique Hebraistarum, qui ex Grammatica Hebręa Buxtorfii Hebraicè sciunt, pravè quoque & more Germanorum dictiones Hebraicas scribant. Illud omne jam à Leone Modena verbis paucioribus annotatum fuit, qui ut genti suæ faveret, Italorum pronunciationem cęteris prefert. *Nella pronuncia di essa lingua Hebrea*, ait Magister ille, *sono talmente poi tra di loro differenti, che à pena sono intesi; Todeschi da gl' Italiani e Levantini ne vi è chi più chiaro & conforme alle regole della vera Grammatica Favelli, che Italiani.* Eamdem fuisse linguarum omnium sortem, discere possumus ex priscis Grammaticis; illudque argumentum optimè tractavit Erasmus Dialogo de rectâ Latini Gręcique sermonis pronunciatione, ubi observat Maximilianum Cæsarem ab aliquot diversarum nationum oratoribus se præsente Latinè salutatum, omnes tamen qui aderant hisce orationibus credidisse nullam Latinè pronunciatam fuisse, sed vulgari quamlibet sermone. Galli orationem non malè Latinam adeo Gallicè pronunciatam fuisse testatur idem Erasmus, ut Italis aliquot eruditis qui tum aderant, Gallicè non Latinè dicere crederetur. Ad quam Galli orationem Doctor aulicus tam Germanicè respondit, ut nemo vulgari linguâ dicere potuisset magis Germanicè: in hunc enim modum exorsus est, *Cæsarea Magheſtas, penè caudet fidere fos, & horationem festram lipenter audifit.* Haud absimiliter Judæi Germani sermonem Hebraicum Germanicè pronunciant & scribunt, & inde maximè orta est nominum propriorum diversitas quæ in Pagnini, Munsteri, aliorumque recentiorum Interpretum versionibus deprehenditur, si cum Euangeliis & antiquioribus monumentis illa comparentur. Sed tempus est ut ad alia cum Vossio transeamus.

Leo Mod. Hist. de Rit. Hebr. part. 2. cap. 1.

Erasmus.

Idem sub fin. Dial. de pron. Lat. & Græc. serm.

Incertam esse vocum Hebraicarum expositionem propter defectum vocalium contendit vir doctus, in eaque etiam sententia Simonium esse existimat, qui etiam crediderit inde factum ut Rabbini codices Hebręos 72. facies habere affirment. Verum quidem est

Simo-

Simonium interpretationum contextûs Hebraici diverſitatem ex parte tribuiſſe vocalium, quæ modò adſunt, modò abſunt, inconſtantiæ. Sed 72. facies illas, quas codices Hebręi præ ſe ferant, ex Judæorum opinione longè aliter explicavit; nec eſt profectò cur iſtud Judæorum pronunciatum adeo frequenter objiciat Voſſius, quod non videtur intellexiſſe. Unus enim ſimplexque Scripturæ Sacræ ſenſus non minùs à Judæis quàm à doctiſſimo Voſſio comprobatur. Nomine autem 72. facierum veniunt tantùm ſenſus allegorici, qui tot ſunt, quot otioſi Magiſtri poſſunt comminiſci. Commune enim eſt effatum non modò apud Judæos qui ſunt è ſecta Carræorum, ſed & apud Rabbaniſtas, quibus ineſt eruditionis aliquid & judicii, אין מקרא יוצא מידי פשוטו, *Scripturam non abire extra ſenſum ſimplicem*, ſeu, ut vocant, *literalem*, quem unicum amplexari ſe profitetur doctiſſimus Aben Eſra, ſpretis illis 72. faciebus, ſeu ſenſibus allegoricis & Cabbalicis, quos plerique Judęorum, maximè qui incolunt regiones Orientis, ſectantur. Quare Judæis ipſis illi mihi videntur ineptiores, qui ex Rabbinorum libris varia fabularum monſtra congerunt, ut Doctoribus iſtis recutitis creent invidiam. Ejuſmodi portentis pleni ſunt libri Talmudis & antiqui Medraſchim, ſeu Commentarii allegorici. Hoc ſenſu dicunt Magiſtri Moſem non eſſe mortuum; R. Simeonis Ben Jochai & Regis Ezechiæ temporibus viſum non fuiſſe arcum cœleſtem, quia juſti erant; eo tempore quo Jonathan Paraphraſi Chaldaicæ operam dabat, aviculas ſuper eum volitantes momento exuſtas fuiſſe. Sexcenta ejuſdem generis prætereo, quę Judæi ſapientiores כרך הדרש, *ſenſu allegorico* dici exiſtimant. Ad quam etiam claſſem revocanda ſunt ea omnia quę de 72. Scripturæ faciebus commenti ſunt Magiſtri. Ceſſet itaque Voſſius illis objicere veritatem conſtare non poſſe ubi adeo multiplex eſt ſenſus.

R. Aben Eſra, Præf. in Pentat.

Tergiverſatus eodem loco vir doctus multa affert de nomine Prophetę quę ſunt extra propoſitum planèque inutilia: quaſi enim illum puduerit Gręcos Interpretes Prophetis adſcripſiſſe, illos affirmat verè Prophetas eſſe qui rectè Scripturas interpretantur, cùm Propheta idem ſit quod Interpres, & προφητεύειν idem quod interpretari. Quaſi verò de hoc Prophetię genere in præſentia agatur. Deriſus fuerat à Simonio Voſſius, qui rancidam de LXX. In-

terpretum Prophetia sententiam renovare studebat, non aliis ad id permotus argumentis, quàm ex odio illorum quos vocat Semi-Rabbinos. Quò autem tendant illa quæ verbosiùs comminiscitur vir acutissimus, ut ostendat non apud Græcos tantùm, sed & Ægyptios somniorum, furtorum & similium interpretes vel indices appellatos fuisse Prophetas, non ita sum oculatus ut videam. Contendit etiam idolorum cultoribus Deum sæpè contulisse donum Prophetiæ. Sed quid hæc faciunt ad præsens institutum? Græcam versionem divinitùs inspiratam appellat, & illius auctores Spiritu Sancto aut Prophetico afflatos, earumque θεοπνευστίαν multis conatur adstruere. Non malè igitur Simonius objecit Vossio, Prophetiam illam jampridem & ab Hieronymi temporibus à LXX. Interpretibus sublatam esse. Imponit ipse potiùs Simonio, cùm illum in jus vocat, quasi crediderit Stephanum Protomartyrem non Græco aut plebeio Syriaco, sed Hebraico sermone ultimam suam absolvisse concionem. *Quid integrum in Euangeliis supererit*, inquit vir ad superstitionem usque religiosus, *si istiusmodi admittamus commenta?* Verùm fingendis commentis ita assuetus est Vossius, ut nova cudere hoc loco veritus non fuerit, quę postea commentitiis rationibus refelleret. Verisimilem putavit Simonius Hieronymi opinionem, qui scripsit credibile non esse Stephanum in sua ad Judæos Hierosolymitanos concione testimonia Veteris Instrumenti aliunde produxisse quàm ex Hebręorum codicibus. De verbis concionis, quę constat sermone Syriaco expressa fuisse, non loquitur Simonius, sed de Scripturę locis quæ in illa concione à Stephano laudata sunt. Quare Vossii commentum est quod Simonio tribuit, eum existimâsse plebem tempore Apostolorum gnaram fuisse veteris linguæ Hebrææ, cùm ipse potiùs affirmet plebem Hierosolymitanam Syriacè loquutam; in Synagogis Hierosolymitanis, ubi Syriacus sermo vigebat, lectam non fuisse Legem Græcè, sed Hebraicè, cui statim adjungebatur interpretatio Syriaca, non verò Græca, uti commentus est Vossius: at de his jam suprà fusiùs dictum fuit.

Iterum malignè Simonio objicit Vossius, ab eo scriptum Aristæi inter commentitia ob id repositum fuisse, quòd Judæis solenne fuerit fingere & scribere incredibilia, cùm ea quæ Moysis & Prophetarum scriptis continentur magis sint incredibilia; ac si ex eo solùm quòd Judæis solenne sit fingere incredibilia, probaverit Simonius commentitiam esse Aristæi historiam. Firmissimas & ex ipso

Aristęi

Aristæi opusculo desumptas rationes profert, ostenditque Philonis Herennii testimonio, quod refert Origenes, Judæos illius temporis multa confinxisse parùm verisimilia. Nec miror Vossium ejusmodi impostores cum Moyse & Prophetis conferre non dubitâsse, qui jam illos inter Prophetas retulerit. Scribit tamen vir doctus in eodem opusculo, ubi, ut & fere semper, parùm consentanea loquitur, in Judæorum scriptis peregrinam rem esse veritatem, tantam inscitiam & barbariem, tantam figmentorum copiam in iis occurrere, ut nihil verius sit illo Satyrici dicto,

Ære minuto
Qualiacunque volunt Judæi somnia vendunt.

Malignè similiter & contra mentem Simonii alia nonnulla subjungit Vossius, quibus inutile est respondere, cùm Simonii liber nunc Latinè & Gallicè omnium teratur manibus, etsi Gallica recens editio, quæque ex eo sumpta est Latina, innumeris scateat erroribus. Jam ut fortiùs premat Simonium Vossius, rogat unde suam de Regibus Judæorum hauserit historiam Demetrius Phalereus, si hujus ætate nulla extiterit Græca versio. Istud quoque comminiscitur Vossius, ut fingat sibi adversarium. Demetrii historiam è Græca versione quæ LXX. Senioribus vulgò tribuitur, desumptam fuisse facilè agnoscet Simonius, qui de ætate auctorum versionis illius nusquam disputat, verùm de ipsismet illius auctoribus, putatque ea quæ de illis ab Aristęo referuntur non abesse à commento. De tempore quo illa instituta & perfecta fuerit à Judæis Alexandrinis, dissentientem non habebit Simonium Vossius; sed ut credat tot fabellis quæ de illis Interpretibus vulgò circumferuntur, vix adduci potest. Suo interim fruatur judicio delicatissimus Vossius, qui somnia plusquàm Rabbinica tam avidè arripit; & quia jam factus oculatior vir doctus ad scribendum se accinxit, non solùm Moysis Pentateuchum à LXX. Interpretibus, sed & libros Historicos & Propheticos Græcè fuisse redditos nunc non dubitat, etsi olim se dubitâsse profiteatur. Gravissimę tamen sunt dubitandi rationes, in primis quę ex Josephi, Hieronymi & priscorum Judęorum testimoniis peti possunt. Negaverat Simonius verba Aristęi à Vossiò intellecta fuisse; nunc ad illorum qui Grecè sciunt judicium provocat vir doctus, quorum etiam decretis penitus standum esse arbitror, velimque ut ea quo-

que expendant illi judices quę ex Eusebio aliisque Scriptoribus Græcis in opus suum transtulit Vossius cum nova Gręcorum verborum translatione; adeo in omnibus novator est vir ille incomparabilis, qui iterum nova comminiscitur Origenis Hexapla, quæ nemini hactenus visa fuerint. Probabiliora sunt quæ mox subjicit de eodem Origene, qui integram LXX. Interpretum versionem & fideliter descriptam Hexaplis suis inseruerit; non verò locis aliquot immutatam, uti suspicatur Simonius. Licet tamen suspicari cum Simonio, Origenem Gręcam interpretationem, quę ipsomet teste innumeris erroribus tunc referta erat, ita integram non restituisse, quin plura loca sub prætextu castigationis immutaverit, quandoquidem non eam solùm ad probatos versionis illius codices recognovit, sed & ad Hebræos, & Aquilę, Symmachi, Theodotionis aliorumque translationes. Quod vix assequi potuit, quin antiquam illam versionem in multis vitiârit, maximè cùm Origenes veritatem Hebraicam longè pluris æstimaverit quàm putat Vossius, si credamus Hieronymo, qui ingenium doctissimi illius Patris probè noverat. *De Adamantio autem*, inquit Hieronymus, *sileo, qui cùm in Homiliis suis quas ad vulgum loquitur communem editionem sequatur, in Tomis, id est, in disputatione majori, Hebraicâ veritate stipatus & suorum circumdatus agminibus, interdum peregrinæ linguæ quærit auxilia.* Aliter igitur se habuit Origenes cum hominibus eruditis, aliter cum imperita multitudine, &, ut aiunt, cum paucis sapiens ea quæ multorum erant loquebatur. His consentiunt quæ scribit adversus Celsum: postquàm enim ex libro Exodi produxit nonnulla secundùm vulgata Græcæ versionis exemplaria, statim contextûs Hebraici lectionem subjicit cum hac animadversione: Ἀλλὰ ταῦτα μὲν περιεργότερά πως εἶναι δοκοῦντα, καὶ οὐ κατὰ τὴν τῶν πολλῶν ἀκοήν. *Sed hæc quæ videntur esse curiosiora, nec satis apta vulgi auribus*, &c. Errat itaque vir doctus, qui existimat Origenem non alios probâsse codices quàm Græcos LXX. Interpretum. Ignorat œconomiæ illius leges quas plerique Patrum, in primis Origenes, sequuti sunt, ut jam receptis à multitudine opinionibus se accommodarent. Quam etiam Origenis œconomiam, seu prudentiam, imitantur ętate nostrâ præstantissimi Ecclesię Romanæ Theologi, qui usum Latinæ editionis populo concedentes, veritatis Hebraicę cognitionem sibi reservant. Quia portentosis Aristæi de LXX. Interpretum versione sermonibus fidem non habet Simonius, causam reddere conatus cur illa LXX. Senioribus attributa

Hieron. Proœm. in Quæst. Hebr. in Genes.

Orig. lib. 5. adv. Cels.

attributa fuerit, teſtatur ſe ad eorum ſententiam accedere, qui putant à LXXII. Synedrii Hieroſolymitani Senatoribus, qui hanc ſuffragiis ſuis & auctoritate comprobârunt, nomen iſtud reportâſſe. Nihil tamen affirmat, ſed de re tam obſcura & à noſtris temporibus ita aliena conjecturam facit : in eum tamen modeſtè ſentientem acriter inſurgit Voſſius, rogatque ſi ab univerſo approbata fuerit Synedrio Græca illa interpretatio, quî fieri poteſt ut mendoſa minimèque exacta fuerit; ac ſi neceſſe fuerit ut auctoritas Synedrii magni, quam verſioni illi acceſſiſſe ſuſpicatur Simonius, ut publicè in Synagogis & Scholis legeretur, hanc ab omni prorsus errore eximere debuerit? Non major illi ἀυθεντία ex Senatorum Hieroſolymitanorum decreto accedere potuit, quàm Latinæ editioni tributa eſt, poſtquàm Tridentini Patres illam Conſtitutione ſuâ fecerunt authenticam. An idcirco Latinus Interpres à mendis quibus antea ſcatebat repurgatus fuit? Minimè. In hoc etiam decreti utriuſque videtur maxima paritas, quòd ſicut in Occidentis Eccleſia ex linguarum Græcæ & Hebraicæ ignorantia factum eſt ut Biblia ſermone Latino converſa & lecta fuerint; ita etiam linguæ Hebraicæ apud Judæos Helleniſtas imperitia fecit ut Judæi Alexandrini ſacros codices in uſum ſuum Græcè verterint; quę deinde tranſlatio Græca apud omnes Judæos qui Græcè ſciebant obtinuit, eaque forſan à Senatoribus Hieroſolymitanis approbata: dixi forſan, quia opus non eſt ad illorum auctoritatem recurrere, ut ratio exponatur cur verſio iſta LXX. Senioribus attributa fuerit; ſed obſervanda tantùm eſt loquutio Judæis admodùm familiaris, quâ res omnes quæ alicujus momenti ſibi eſſe videntur, referre ſoleant לאנשי כנסת הגדולה, *ad viros Synagogæ magnæ*. Quod genus loquutionis plurimos eoſque eruditiſſimos in varios errores perduxit, dum Judæorum libros non ſatis cautè evolvunt : cùm non tam quid loquantur Magiſtri, quàm quomodo & quibus de cauſis ita loquantur animadvertendum ſit. Ita plerique Rabbini contendunt ſacri codicis apices & alia ſimilia ſuam ducere originem à viris Synagogæ magnæ, de more ſcilicet gentis ſuæ, non verò ex rei ipſius veritate. Hoc quoque modo Græcam verſionem tributam fuiſſe LXX. Senioribus conjicere longè ſatiùs eſt, quàm Ariſtæi commentis cum Voſſio fidem adhibere.

Diſplicet præterea viro docto, quòd Simonius reducere cona-

tus fuerit Helleniſticam linguam à viris doctis exploſam, eamque obtrudere ſub nomine linguæ quæ in Synagogis potiſſimùm obtinebat, ac ſi in illis peculiaris aliqua fuerit lingua quæ nec Græca nec Hebraica fuerit, ut hâc ratione efficiat LXX. Interpretes & Græcè & Hebraicè neſciviſſe. Noverat profectò Simonius quid jam à Salmaſio adverſus linguæ Helleniſticæ defenſores ſcriptum fuerat: ſed pace viri illius docti dixerim eum de umbra aſini diſputantem lites de nomine tantùm concitâſſe. Imperitiam Hebraici & Græci ſermonis Græcis Interpretibus non tribuit Simonius, ſed καινοζηλίαν tantùm, ſeu pravam affectationem Judæis Interpretibus familiarem, maximè in vertendis Scripturis, qui verba Hebraica dum curioſiùs & ad literam volunt exprimere, à communi magiſque recepto ſermone paululùm deflectunt, ſpecialeſque notiones & à vulgaribus diſtinctas interdum vocibus quibuſdam tribuunt. Iſta licet animadvertere in omnibus ferme Scripturæ Sacræ verſionibus quæ à Judæis conditæ ſunt, uti rectè oſtendit Simonius, à quo etiam optimè annotatum fuit, Græcam LXX. Seniorum interpretationem pleriſque Patribus Græcis vix intellectam fuiſſe, quòd illa Syriacæ vel Hebraicæ linguæ aliquid retineret: ſicut tranſlatio Hiſpanica Ferraræ edita quæ Judæos habet auctores, ab iis qui Hebraicè neſciunt vix legi poteſt, etſi Hiſpanicè docti ſint. Id etiam in cauſa fuit cur antiquus Græcæ verſionis Interpres Latinus non paucas dictiones Græcas malè expreſſerit, vim illarum non aſſequutus. Aliquas etiam non videtur intellexiſſe ipſemet Hieronymus, licet Hebraicè & Græcè doctus, dum magis ad Græca, quàm ad Hebraica unde Græca ſumpta fuerant, attendit. Simonio etiam objicit Voſſius, eum neſciviſſe quinam fuerint Helleniſtæ. Fateor neſciviſſe antea Simonium quę contra communem doctiſſimorum virorum ſententiam commentus eſt eruditiſſimus Voſſius, qui ut oſtentet Græcam eruditionem, Ἑλληνίζειν eſſe aſſerit partes Græcorum ſequi, ut Ῥωμαΐζειν, Περσίζειν, Μηδίζειν, Ἀντιγονίζειν, imitari mores & ritus, aut ſtare à partibus Romanorum, Perſarum, Medorum & Antigoni, & illis quomodocunque faverе. Verùm perinde eſt ac ſi dixerim in præſenti negotio, ubi de re critica lis movetur cum Voſſio, non modò Voſſium eſſe rei criticæ peritiſſimum, ſed & Canonicum Winſorienſem, qui Liturgiam Anglicanam in templo bellè decantet. Conſtat duplicis generis fuiſſe Judęos, & Διαφορὰν τῶν Ἑλλήνων diſtinctam

stinctam fuisse ab iis Judęis qui tùm in Judęa, Samariâ, Babyloniâ aliisque regionibus vicinis Syriaco utebantur sermone & Hebraicis codicibus. Illi, quia dispersi erant inter nationes quibus lingua Gręca erat vernacula, Grękè etiam loquebantur, & Scripturam Græcè legebant, appellanturque in Actis Apostolorum Ἑλληνισταί. De iisdem quoque exponenda sunt hæc verba Judæorum in Euangelio Joannis: Μὴ εἰς τὴν Διασπορὰν τῶν Ἑλλήνων μέλλει πορεύεσθαι; *Numquid in dispersionem Gentium iturus est?* Jam Simonius quod erat instituti sui referens, asserit Græcam LXX. Interpretum versionem à Judæis maximè Hellenistis approbatam, quia Græcè callebant; secus verò à reliquis Judæis quibus lingua Græca non erat domestica, quales erant Babyloniæ, Palęstinæ, Syriæ & Judææ incolæ, quibus omnibus sermo Chaldaicus sive Syriacus communis fuit. Non inficiatur tamen Simonius, etiam inter hos extitisse Helleniștas aliquot; nimirum Hierosolymis erat Synagoga Alexandrinorum, & Antiochiæ reperiebantur quoque Judæi Helleniștæ, uti constat ex Actibus Apostolorum. Cùm de contextu Hebræo tantùm & Grękâ illius interpretatione hoc loco ageretur, necesse non fuit ut Simonius extra viam currens exemplo Vossii, Judęos illos vocaret Helleniștas qui pacatiori erant animo & sine cunctatione vectigal pendebant, monebantque jugum à Deo impositum æquo ferendum animo, istos Grękorum partes sequutos fuisse: quasi verò etiam Hierosolymis aliisque locis ubi Judæi Helleniștarum nomine insigniti non fuerunt, nulli fuerint Judæi qui æquo animo & sine cunctatione vectigal penderent. Quare igitur etiam isti dicti non sunt Ἑλληνισταὶ seu φιλέλληνες; Verùm suâ fruatur conjecturâ Vossius, & Helleniśmum ad solum non referri sermonem judicet. Modò aliquâ ratione ad hunc referatur, satis est. Helleniśta quoque fuit Christus, si credamus Vossio, non quòd Græci sermonis peritus fuerit, sed quia jubet ut *Cæsari detur quod est Cæsaris.* Quod verò mox subjungit vir doctus de depravatis Judæorum codicibus deditâ operâ in rebus chronologicis, non est cur iterum illud ad examen revocemus, cùm jam superiori scripto fusiùs demonstratum fuerit in hoc Vossium gravissimè allucinatum esse; nec ea similiter quæ de Danielis Prophetia etiam Judæis cognita jam quoque allata sunt, hîc opus est repetere. Juvat nunc ea excutere quæ tanquam minùs commodè à LXX. Interpretibus reddita carpserat Simonius, eademque obstinato animo Vossius tuetur. Expendens verba illa primi Capitis Geneseos, Act. 11: 29.

Eis

Εἰς ἀρχὰς τ' ἡμέρας, dicit Simonius ancipitem sibi videri hanc expositionem, quia vox ἀρχὴ, *principatum* & *principium* significat. Miratur Vossius Simonium non etiam reprehendisse vocem Hebræam, quæ & ipsa duplicem habet potestatem. Sed diligentis est Interpretis vitare *amphiboliam*. Locum hunc ante Simonii censuram, tan-
Genes. 3: 14. quam convenientiùs ab Aquila expressum quàm à LXX. Interpretibus, notaverat doctissimus Origenes. Deinde animadverterat Simonius ad hæc verba Capitis 3. Geneseos, Ἐπικατάρατός σου ἀπὸ πάντων τῶν κτηνῶν, præpositionem ἀπὸ huic loco non convenire, nec videri ullum constituere sensum: at longè perspicacior Vossius non potuisse locum hunc meliùs & exactiùs reddi contendit, nullumque esse Græcum Scriptorem qui non sic loquatur. Græca quidem esse hæc verba, & præpositionem Hebraicam מן rectè exprimi per Græcam ἀπό, non inficias ierit Simonius; verùm quæstio est, utrùm hoc loco, ubi de comparativo agitur, uti loquuntur Grammatici, illa prepositio per Græcam ἀπὸ benè reddita fuerit. Græcus Scriptor appositissimè ὑπὲρ ubi sæpiùs LXX. & Aquila vertunt ἀπό. Tertiò ad idem Caput conjecerat Simonius, pro τηρήσῃ & τηρήσεις legendum τρήσῃ & τρήσεις. Sed delicatior Vossius hoc non esse Græcum objicit, quia non dicitur τρέω, sed πίρω, unde futurum περῶ. Minùs tamen delicatus Grotius futurum τρήσω non improbavit, quod etiam legit Complutensis editio. Præterea à τείρω non modò fieri in futuro περῶ, sed & τέρσω nôrunt Grammaticorum filii. Cætera, quia sunt ejusdem generis & parvi momenti, visum est prætermittere, ne minutiora consectari videar. Silere tamen non possum quod peritus naupegus Vossius annotat ad hæc verba Capitis 6: 14. Geneseos, Ποίησον σεαυτῷ κιβωτὸν ἐκ ξύλων τετραγώνων, *Fac tibi arcam ex lignis quadratis*. Negat, contra mentem Simonii, ex asseribus aut tabulis ullum construi navigium, sed ex arboribus quadratis ædificari, quæ aptissimæ sunt fabricæ navali, utpote quæ materiem & simul resinam seu picem ad unguendas exhibeant naves. Quadratas illas arbores quales fingit Vossius, cedrum videlicet, abietem, piceam, pinum & sapinum, construendis navibus aptissimas esse facilè crediderim; sed cur neget illas deinde ædificari ex *plancis*, sive asseribus, ad costas ligneas applicatis, minimè assequor. Nunc ad alia quæ majoris sint momenti veniamus.

Denique, ut finem dicendi faciam, Vossius maligno adversus Simo-

Simonium animo invidiam illi creare conatur, dum eum parem facit Spinosę Judęo in iis quę habet de incertitudine Scriptorum Veteris Testamenti. Mox tamen, seipsum veluti castigans Vossius, fatetur ingenuè meritò damnatum à Simonio Spinosam velut indoctum & futilibus nimiùm argumentis quoscunque ferè S. Scripturę libros abjudicantem ab illis quibus semper attributi fuêre auctoribus. Verùm indoctiores ipso Spinosâ se ostendunt, qui libros Scripturæ Sacræ statim tribuendos iis esse existimant quorum nomina præferunt. Damnanda quidem Spinosæ malignitas; sed non statim ea omnia quæ habet de sacris Scriptoribus damnanda sunt, quòd in aliquibus cum viris pietate & eruditione conspicuis consentiat. Verùm cùm hac in parte Simonius non solùm doctissimo Vossio displicuerit, sed & viris haud inferioris notę, qui nihil non virulenti adversus illius Criticam Sacram evomuerunt, juvat hoc argumentum fusiùs texere.

Displicuit in primis beatulis istis & delicatulis id omne quod scripsit Simonius de publicis gentis Hebraicæ Notariis, quos cum Josepho & quibusdam Ecclesiæ Patribus vocat Prophetas, qui non solùm res gestas suis temporibus chartę commendabant, sed & ea quæ à prioribus Prophetis scripta fuerant servabanturque in scriniis publicis, recognoscebant, eâdem fermè ratione quâ Esdras post Judęorum è Babylone reditum sacros codices recognovisse, & illi quam nunc obtinent formæ restituisse, vulgò tum à Judæis tum à Christianis creditur. Nihil est in hac Simonii assertione quod non à plerisque Patribus iisdemque doctissimis approbatum fuerit. Adeatur unius Theodoreti, præstantissimi Ecclesię Orientalis Theologi, Præfatio in libros Regum, ubi totum istud negotium explicat, liberèque ac nullatenùs dubitans asserit complures apud Hebræos fuisse Prophetas, quorum unusquisque scribere consueverit quæ suę erant ætatis; partem maximam librorum qui ab ipsis conscripti sunt nunc desiderari, idque disci ex Paralipomenon historia. Addit illos quos nunc vocamus libros Regum, ex scriptis illis longo post tempore desumptos fuisse. Theodoreto consentiunt Diodorus, Procopius & alii non pauci. Similiter doctissimus Masius, quem sequuti sunt Pererius, Sanctius, Cornelius à Lapide aliique Jesuitæ in libris sacris diu multùmque versati, quorum

Theodor.

Diod. in lib. 1. Sam.
Mas. Præf. at. Comm. in Jos.
Sanct. Præf. in lib. Reg.
Perer. Præf. in Genes.

rum verba hîc afferre non eſt operę pretium, cùm illorum libri omnibus ſint obvii. Verùm ut res iſta fiat illuſtrior, in ſingulos Scripturæ Sacræ libros ſpeciatim incurrere forſan non erit à propoſito alienum.

Primus in aciem prodibit Moyſes, quem quinque librorum Legis auctorem eſſe conſtans eſt tam Judæorum quàm Chriſtianorum traditio. In eo tamen religioſiores fuiſſe videntur Judæorum Magiſtri, qui ne quidem dictionem unam, imò nec ſyllabam, extare in Lege contendunt, quæ à Deo profecta non fuerit & Moyſi dictata; ſecus Chriſtianorum plerique, qui aliqua libris Moyſis vel ab Eſdra, vel ab aliis qui eos recognoverunt, longo poſt tempore adjecta fuiſſe liberè affirmant. Nec ipſe Hieronymus ſingula Pentateuchi verba, qualis nunc extat, Moyſi tribuere auſus eſt, ſequutus hac in re communem Doctorum Eccleſiæ ſententiam, qui Legem univerſam ab Eſdra Scriba peritiſſimo recenſitam recognitamque fuiſſe conſtanter aſſeverant. *Sive Moyſem dicere volueris*, inquit Hieronymus, *auctorem Pentateuchi, ſive Eſdram ejuſdem inſtauratorem, non recuſo.* Verùm utrùm Moyſes ipſe eam quam ſub ejus nomine habemus hiſtoriam totam literis mandârit, vel ex parte à Notariis illis qui res ætatis ſuæ conſcribebant, chartis excipi juſſerit, major eſt difficultas. Tamen in quamcunque partem res cadat, Moyſes totius Legis auctor & ſcriptor cenſebitur, ut optimè à Simonio jam annotatum fuit, quia Scribæ illi, ſi qui jam à Moyſis tempore extiterunt, ab eo in omnibus pendebant. Nihil quidem in univerſa Lege reperias, quod ejuſmodi Scribarum auctoritatem ſtabiliat. Sed niſi jam ab illis temporibus ab ipſo Moſe conſtituti fuiſſent, aliquid Hebræorum Reipublicæ defuiſſet, quo nec Ægyptii, nec aliæ Orientis nationes caruêre. Jam à Moyſis temporibus fuiſſe apud Hebræos Annalium ſcriptores, Sanctius Jeſuita doctiſſimus non dubitavit aſſerere his verbis. *Sentio fuiſſe in ſuperioribus ſeculis verba dierum, Commentarios, Ephemerides & curam diligentem & ſedulam, ne obſcuraretur temporum oblivione quos quiſque natales & poſteros haberet: quod à tempore Moyſis mihi videtur omnino certum.* Parco recenſendis aliorum nominibus qui eadem ſentiunt. Miror tamen nuperum Scriptorem ex ordine Seraphicorum zelo pluſquàm Seraphico accenſum, ſententiam hanc in Diſquiſitionibus Biblicis tanquam impiam damnâſſe, illiuſque auctoribus dira imprecatum. Verùm, ut audio,

Hieron. adverſ. Helv.

Sanct. Proleg. 4. in Paralip.

audio, Seraphicus ille Doctor, cùm nihil sciat Hebraicè neque Græcè, audaciſſimæ tamen est inſcitiæ, & ex eorum ſecta qui *quæcunque ignorant, blaſphemant.* Offendit præterea nonnullos, & fortaſſe delicatulum Voſſium, in Critica Sacra Simonius, quòd aliqua libris Moyſis poſtea adjecta fuiſſe affirmaverit. Sed non etiam hac in re novator eſt Simonius, qui conſentientes ſibi habet peritiſſimos Scripturæ Sacræ Interpretes Maſium, Pereriumque, qui hujus verba fere integra in Præfationem ſuam in Geneſim tranſtulit, Bonfrerium, Cornelium à Lapide, & alios benè multos. *Placet etiam mihi*, inquit Pererius, *eorum ſententia, qui exiſtimant Pentateuchum longo poſt Moſem tempore interjectis multifariàm verborum & ſententiarum clauſulis, veluti ſarcitum & explicatiùs redditum, & ad continuandam hiſtoriæ ſeriem meliùs eſſe diſpoſitum.* Simili ratione Bonfrerius expendens verba quædam Geneſeos quæ ſuſpicatur à Moyſe ſcribi non potuiſſe, hæc habet: *Malim dicere aliquem alterum Scriptorem Hagiographum nonnulla poſtea addidiſſe, quàm Moyſi Prophetam agenti omnia adſcribere.* Haud abſimiliter ad eundem locum Cornelius à Lapide ait: *Hæc verba videntur addita poſt Moſem ab eo qui Moſis diaria digeſſit.* Quid quòd & ipſemet D. Huëtius Spinoſæ objicienti libris Moſis nonnulla aſſuta fuiſſe, ita reſpondet ut ab eo vix diſcedere videatur. *Fatemur*, inquit, *Scripturæ reparatorem Eſdram, ſicubi ſe darent obſcuriores aut difficiliores loci, huc & illuc de ſuo nonnulla in libros ſanctos explicationis causâ inſarſiſſe. Præterea, cùm tot diſputationibus propagati ſint codices ſacri, ut nullius unquam libri tot exſtiterint exemplaria, quid mirum, ſi quod aliàs ſæpè evenit, factum hîc quoque ſit, & adtextæ ad oram à viris piis ac doctis notæ, in ipſum fortè contextum irrepſerint?* Denique illa quæ ad calcem Deuteronomii habentur de Moyſis morte & ſepultura à Joſua, vel potiùs à Synedrii magni Senatoribus, quorum dux fuit Joſue, reliquo contextui vulgò creduntur adjecta. Ea ſiquidem quæ tunc gerebantur in Acta publica referri mos erat ab iis quorum fuit illa deſcribere; quo ſenſu dicitur Joſue nonnulla *ſcripſiſſe in volumine Legis Domini*, fœdus ſcilicet quod cum populo percuſſerat. Multa quidem in ipſomet Pentateucho extant quæ Legis libros à Moyſe ſcriptos fuiſſe manifeſtè oſtendunt: ſic in Exodo legimus, *Scripſit Moyſes univerſos ſermones Domini:* & in Deuteronomio, *Poſtquàm ergo ſcripſit Moyſes verba Legis.* Sed hæc & alia ejuſdem generis complura de quibuſdam tantùm Legis partibus,

Epiſtol. Catholic. Judæ, verſ. 8.

Perer. Præf. in Pent.

Bonfrer. Comm. in Cap. 36. Geneſ. verſ. 31.

Corn. à Lapide Comm. in Cap. 36. Geneſ.

D. Huët. Demonſt. Evang. Propoſ. 4. cap. 14.

Exod. 24.

Deuter. 31.

bus, quarum in his locis fit mentio, exponenda esse demonstravit Simonius: unde & Hieronymus Oleaster, vir Hebraicè doctus & in sacris literis apprimè versatus, negat posse ex Scripturis probari efficacissimè Moysem ipsum Legis quam sub ejus nomine habemus Scriptorem fuisse. Hactenus de Moyse & ejus libris; nunc reliquos historię sacræ libros expendamus.

Hieron. Oleast. Prol. in Pentat.

Primus post Pentateuchum occurrit liber qui dicitur Josue, quemque à Josua scriptum fuisse, non secus atque à Moyse Pentateuchum, firmissimè probare videntur verba illa, *Scripsit quoque* (Josue) *omnia verba hæc in volumine Legis Domini.* Josue nimirum defuncto Moyse, vel illius Scribæ, eo mandante, ea quæ tunc temporis gerebantur in Acta publica conjecerunt: quo sensu *volumini Legis* quasi addita fuisse dicuntur. Mirum tamen quàm secum dissideant qui hoc argumentum tractârunt; ità ut ne ipse Augustinus Josuam scripti quod sub ejus nomine circumfertur, extra controversiam auctorem esse ausus sit affirmare. *Si ab illo*, inquit, (Josuâ videlicet) *conscriptus liber qui appellatur Jesu Nave, vel si ab alio scriptus est*, &c. Similiter Theodoretus auctor est hunc à Josua scriptum non fuisse, sed ex libro posteriori excerptum. E recentioribus autem doctissimus Masius pluribus ostendit, minimè dici posse ea omnia quæ in Josuæ historia nunc extant ab eo profecta fuisse, quæque supra allata sunt de Scribis illis publicis & de illorum muneribus, gravissimis rationibus confirmat, & id ad alios etiam Scripturæ libros extendit. Talmudistarum quidem sententia est, Josuen scripsisse librum suum & octo versus Legis: sed ab his discedere veritus non est Magister acutissimus R. Isaac Abravanel, & ut ita sentiret non modò his verbis quæ referuntur ad calcem libri Josuæ, *Et post hæc mortuus est Josue filius Nun*, &c. adductum se fuisse asserit, sed & ob alias quæ passim in ipso Josuæ contextu reperiuntur loquutiones, quarum auctorem Josuam esse potuisse inficiatur. Hujus generis sunt primò illud quod habetur de duodecim lapidibus quos posuit in medio Jordanis alveo, de quibus nimirum dicitur, *Sunt ibi usque in præsentem diem*; deinde id quod refertur de circumcisione, cui statim hæc subjungit Scriptor libri Josuæ: *Vocatum*

Jos. 24: 26.

August. in Jud. Quæst. 12. *Theodor.*

Mas. Comm. in Cap. 10. *Josuæ.*

Talm. Baba bathra.

R. Abravan. Præfat. in Jos.

Jos. 4: 9.

Jos. 6: 9.

tum est nomen loci illius Galgala usque in præsentem diem. De quibusdam etiam populis, quos Israëlitæ penitus non deleverant, hæc leguntur: *Habitaverunt in medio Israël usque in præsentem diem.* Prætereo & alia multa quæ eodem planè modo enunciantur in historia Josuę, & quæ ab ipso Josua scribi non potuisse pluribus contendit idem Magister Abravanel. *Si Josue*, inquit Magister ille, *scripsisset hæc omnia, num diceret, Usque in præsentem diem?* Addit ea quæ in Josuæ historia leguntur de Danitis qui urbem *Leschem* expugnaverint, quæ tamen evidens est sub finem Judicum contigisse, adeoque post ipsius Josuæ obitum. Verùm ista & alia ejusdem rationis bene multa, quibus consultò supersedere visum est, non probant Josuam, vel illos quibus præerat Scribas, ea quæ suorum erant temporum in Acta publica non retulisse; sed tantùm alios postea Scribas eadem Acta recognovisse, interjectis aliquot connexionis & explicationis causâ. *R. Abravan. Præfat. in Jos.*

Neque aliâ profectò ratione contextus fuisse videtur liber qui *Schophetim*, seu *Judices* appellatur, quia similes in eo loquutionum formulæ apparent. Quare D. Huëtius Dorothei sententiam de hoc libro amplexatur, qui Dorotheus auctor est Scribas illius temporis quæ sub Judicibus gesta fuerant, ea in Commentaria retulisse, ex quibus postea Samuel librum Judicum composuerat. Quis autem fuerit Dorotheus ille in præsentia non disputo; satis est inde confecisse, nudiustertiùs natam non esse Simonii opinionem quæ Scribas publicos in gente Hebræa statuit, quorum fuit res suorum temporum describere, ex quorum postea Commentariis alii Scribæ, seu Prophetæ, qui hos exceperunt, historias contexuêre, quas legimus sub Josuæ, Judicum, Samuelis & Regum nominibus. Hanc quoque sententiam confirmant Syri: ad calcem enim historiæ Judicum in exemplari Syriaco hæc verba leguntur: *Liber autem Judicum, quamvis annotatum non sit nomen ejus qui ipsum scripsit, notum tamen est quòd ab aliquo Sacerdotum filiorum Aaronis, qui temporibus Judicum istorum sacerdotio functi sunt, scriptus sit.* Librum Ruth Dorotheus modò laudatus ad eosdem Scribas refert, idque videtur longè verisimilius quàm aliorum sententiæ quibus nihil ineſt firmitatis. De utroque hæc habet Sixtus Senensis: *Dicitur Samuelem* *Pseudo-Doroth.* *Ex cod. Usser. Tom. 6. Polygl. Anglic.* *Sixt. Senens. Bibl. S. lib. 1.*

muelem librum Judicum collegisse, eique adjecisse Ruth Moabitidis historiam: sunt qui Ezechiam, & qui Esdram putent utriusque voluminis auctorem.

Theodor. Præf. in lib. Reg. De libris autem Regum hęc annotavit Theodoretus, plurimos scilicet fuisse Prophetas apud Hebræos, quorum quisque scribebat res suę ætatis, & inde factum esse quòd primus liber Regum apud Hebræos & apud Syros nominetur Prophetia Samuelis. Deinde mox addit: *Qui ergo Regnorum libros scripserunt, ex scriptis illis acceptâ occasione post plurimum tempus scripserunt.* Et post nonnulla interjecta hęc affert de libris Paralipomenon. *Fuerunt aliqui alii Historiographi eorum quæ ab illis fuerant prætermissa, qui de his conscriptum librum appellârunt Paralipomena.* Sixtus Senensis de primo & altero librorum Regum, quos Samuelis nomine insigniunt Judęi, hęc subjicit. *Liber Samuelis partim à Samuele Propheta, partim à Nathan & Gad Prophetis creditur esse conscriptus. Samuel enim collegit facta Heli, Saulis, Davidis ac sui ipsius gesta, quæ in primo Regum usque ad mortem suam referuntur. Nathan verò & Gad Prophetæ scripserunt libros Regum à morte Samuelis usque ad finem libri secundi.* Quæ hoc loco scribit Sixtus Senensis, licèt à veritate minùs aliena crediderim in genere, tamen si in specie & minutatim expendantur, nequeunt esse vera ex omni parte: quandoquidem à Samuele ea omnia quæ usque ad illius mortem narrantur scribi non potuisse complura ostendunt. Vix enim credibile est eum de rebus quæ suâ ætate gerebantur, & quarum fuerit ipse testis oculatus, hęc scripsisse: *Propter hanc causam non calcant Sacerdotes Dagon, & omnes qui ingrediuntur templum ejus limen Dagon in Azoto usque in hodiernum diem.* Neque ea similiter quæ paulò post narrantur de arca Domini, quæ erat usque in diem illam in agro Josuæ Bethschemitis. His accedit, Samuelem hujus clausulæ quæ in illius historia legitur non videri auctorem: *Olim in Israel sic loquebatur unusquisque vadens consulere Deum: qui enim Propheta dicitur hodie, vocabatur olim Videns.* His tamen non obstantibus, credibile est historiam quæ nomen Samuelis præfert, ab illo verè conscriptam fuisse usque ad ea quæ de illius morte referuntur. Illa autem quæ in contrarium adducta sunt, probant duntaxat Scribæ alicujus, seu Prophetæ, puta Hieremiæ, ut quibusdam visum fuit, recognitionem accessisse, qui nonnulla

Sixt. Senens.

1 *Sam.* 5. 5.

nulla explicationis causâ addiderit. Alii tamen malunt tribuere has additiones Esdræ & illius Collegis. Syri librum primum & secundum Regum, qui tertius & quartus numerantur in Latinis codicibus, dicunt scriptos fuisse à Sacerdote quodam nomine Johanan.

De libris Chronicorum, seu Paralipomenon, à quibus illi fuerint collecti, est etiam dubitandi ratio. Judæi plerique illorum auctorem faciunt Esdram. Ita R. Salomon & R. D. Kimchi hanc esse traditionem patrum suorum asserunt, qui Esdræ quoque adjungunt socios Aggæum, Zachariam & Malachiam Prophetas; ita tamen ut illi non tam historiam de novo scripsisse dici queant, quàm vetusta Chronica Regum Judæ & Israel compilâsse, rejectis iis quæ minùs suo instituto convenire videbantur, additis etiam nonnullis interdum quæ in aliis Scripturæ Sacræ libris prætermissa fuerant, unde nomen Paralipomenon ortum apud Græcos, quod ab his deinde ad Latinos transiit. Quare rectè Hieronymus appellat librum Paralipomenon Veteris Instrumenti epitomen. Sixtus Senensis affirmat libros Paralipomenon nullum habere certum auctorem. Refert tamen Judæorum ea de re sententiam, quibus etiam suffragatur Hugo Grotius, qui libros hosce scriptos fuisse ab Esdra existimat, & ab iis dictos *Divre hajamim*, *Verba dierum*, seu excerpta ex Regum diurnis. Librum qui Esdræ nomine prænotatur, partem maximam ab illo digestum & descriptum fuisse, res ipsæ quæ habentur in illius contextu videntur indicare. Nehemias autem in fronte operis auctorem se profitetur libri illius quem Judæi secundum Esdræ nominant.

R. Salom. Comm. in Paralip. *R. D. Kimch. Præf. in Paralip.* *Hieron. in Epist. ad Paul.* *Grot. ad lib. 1. Paralip.*

Liber Psalmorum à Judæis appellatur *Sepher tehillim*, seu liber laudum, quem Augustinus totum esse Davidis aliquando sensisse videtur, qui etiam non dubitat illos quos longo post Davidem tempore conditos fuisse manifestum est, etiam Davidi referre, quòd hic non modò Cantor, sed & Propheta extiterit. Neque etiam ab ea opinione divellere potuerunt Augustinum Asaphi, Idithi & aliorum Cantorum nomina quibus Psalmi aliquot tribuuntur, quia materiam ipsis suppeditare potuit David, quam postea adornârunt accommodâruntque ad varios cantus, quorum erant periti. Verùm longè rectiùs Hieronymus, qui Psalmos eorum esse asserit, *qui ponuntur in titulis*, *David scilicet*, *Asaph* & *Hieron. ad Sophron.*

& Idithun, filiorum Core, Eman Ezrahitæ, Moysis, Salomonis & reliquorum quos Esdras primo volumine comprehendit. Hieronymo consentiunt plerique Judęi. Ita sapiens Aben Esra affirmat Psalmos eorum esse quorum nominibus prænotantur; etsi complures sint qui nullum nomen præferant. In hoc tamen castigat Hieronymum Magister ille, quòd non absolutè pronunciet Psalmos ab iis esse conditos, quorum nominibus prænotantur, sed eos qui Davidis & Salomonis præferunt nomina, vel illorum esse, vel de illis à Cantoribus compositos. Christus tamen universum Psalmorum opus tribuisse videtur Davidi, cùm ait, *Ipse David dicit in libro Psalmorum.* Sed communem Judęorum sententiam sequutus est Christus. Illi enim Psalmos Davidis nomine prænotabant, non quòd revera Psalmorum omnium auctorem illum agnoscerent; quandoquidem res ipsa contrarium apertè demonstrat: sed quòd præcipuus illorum Scriptor esset, & in sacris codicibus *egregius Psaltes Israël appelletur.* Scribit tamen jam laudatus Aben Esra, non deesse inter Magistros suos qui totum Psalterii opus Davidi tribuant, quem etiam agnoscunt Prophetam.

Aben Esr. Præfat. in Psalm.

Luc. 20: 42.

Liber qui vulgò dicitur Proverbiorum commendatur à nomine Salomonis quod illius frontem occupat, etsi universa operis illius ratio demonstrare videatur hoc nihil esse præter varia sententiarum excerpta, quæ cùm à Salomone, tum ab aliis Scriptoribus collectæ in unum postea corpus conjectæ fuerunt. Salomonem multas composuisse Parabolas probant ista quæ de seipso habet: *Cùmque esset sapientissimus Ecclesiastes, docuit populum, & enarravit quæ fecerat, & investigans composuit Parabolas multas,* quæ usque ad tria millia numerantur libro III. Regum; sed quę hodie non extant, si paucas exceperis quas repræsentant sacri codices. Primis novem Capitibus illius operis nomen Salomonis præfigitur, deinde sequuntur & alia quindecim Capita, quæ ejusdem Salomonis nomen præferunt; & hęc secundam esse illius Parabolarum, sive sententiarum, partem existimavit Aben Esra. Pars verò tertia earumdem Parabolarum sumit initium ab his verbis Capitis 25. *Gloria Dei est celare verbum:* quæ distinctio ab iis profecta est qui Scripturę Sacræ libros in ordinem quem nunc servant redegerunt. Salomonem enim ipsum nomen suum toties Paraboliis

Eccl. 12: 9.

Lib. 3. Reg. Cap. 4: 32.

Aben Esr. Comm. in Cap. 10. Prov.

lis suis præfixisse vix credibile est; sed Scribas potiùs qui opus illud in partes suas divisêre. Ita versum hunc quem initio Capitis 25. legimus, *Hæ quoque Parabolæ Salomonis, quas transtulerunt viri Ezechiæ Regis Juda*, putat Aben Esra esse Sobnæ, qui Regis Ezechiæ Scriba erat. Sobnam quidem & alios qui Regi Ezechiæ erant à Commentariis, sententias istas, quarum prima est illa, *Gloria Dei est celare verbum*, ex integro volumine decerpsisse lubens agnosco: cùm & verba hæc, *quas transtulerunt viri Ezechiæ*, id apertè demonstrent. Partem quartam Parabolarum Salomonis habemus initio Capitis 30. ubi legitur in editione Latina, *Verba Congregantis*, & in contextu Hebraico, *Verba Agur*. Quis sit autem ille *Agur*, sive *Congregans*, non conveniunt inter se Scripturæ Interpretes. Prisci Judæi, teste R. Salomone, ita volunt appellatum fuisse Salomonem, quasi dixerimus *colligentem sententias:* id enim Hebraicè sonat dictio *Agur*, cujus similiter sensum expressit Latinus Interpres, dum reddidit *Verba Congregantis.* Eamdem opinionem illustrat R. Levi Ben Gersom, ubi ait, *Videtur Salomon Aguris nomen ipse sibi imposuisse ratione habitâ sententiarum quas in hoc libro collegit.* Sed forsan meliùs Aben Esra & eum sequutus Grotius suspicantur Agurem istum fuisse temporum illorum Theognidem, aut Phocylidem, ex cujus scriptis sententias quasdam selegerit Salomon ipse, quasque cum aliis sententiis in unum volumen conjecerit. Additur demum pars quinta Proverbiorum Salomonis, quę intra Caput 31. quod & ultimum est, clauditur, idque Regis Lamuelis nomine. Quis autem sit Lamuel ille, ignoratur. Judæi plerique existimant Salomonem indicari, non secus ac per Immanuel, ut auctor est Aben Esra, indicatur Messias; & appellationis istius rationem sumit ex eo quòd Lamuel significet *illis Deus*, quia nimirum Salomonis temporibus, ait idem Aben Esra, Deus unus ab Hebræis colebatur. Sed de originatione vocis Lamuel non est cur simus soliciti, maximè cùm LXX. eam non exhibeant, & diversâ planè ratione verba contextûs Hebraici legerint ac converterint.

R. Levi, Comm. in Cap. 30. Prov.

Librum qui Hebraicè dicitur *Coheleth*, & apud nos Ecclesiastes, Latinè possumus appellare Concionatorem; licèt plerique Judæi recentiores dictionem *Coheleth* velint significare hominem

congregantem, quòd scriptum illud multas complectatur de rebus diversis sententias. Ita sentiunt R. Salomo & R. Aben Esra, &, ut ille inquit, Salomon qui operis hujusce auctor est, in alio loco vocatur *Agur* ob eamdem rationem, vel ut loquitur R. David de Pomis, *Titolo del libro nomato Ecclesiastes composito da Salomo-de significa congregatore per congregare & racorre, in quel trattato diverse opinioni de gl' huomini la maggior parte de quali sono false.* Judæi tamen nonnulli, teste R. Salomone, in interpretanda voce ista *Coheleth* cum LXX. conveniunt; eâ siquidem indicari arbitrantur hominem qui in cœtu aliquo concionatur. De Scriptore autem illius operis minimè consentiunt inter se Magistri: Talmudici enim Doctores tribuunt illud Ezechiæ; Rabbini autem recentiores Salomoni, & pro his pugnant verba contextûs, in quo multa extant quæ vix de alio quàm de Salomone exponi possunt. Itaque verisimile est Doctores Talmudicos voluisse duntaxat scriptum illud à Rege Ezechia & à viris illius consessûs excerptum fuisse ex Salomonis operibus. Christiani quoque Interpretes non alium Ecclesiastę Scriptorem agnoscunt quàm Salomonem, si perpaucos excipias, inter quos est Hugo Grotius, qui seriùs illud scriptum compositum fuisse affirmat sub nomine Salomonis, & in illius rei argumentum habere se testatur multa vocabula ex eo collecta, quæ non alibi extant quàm in Daniele, Esdrâ & Chaldæis Interpretibus. Auctor est Hieronymus, priscos Hebræos inter cætera Salomonis scripta quæ antiquata sunt, de hoc quoque obliterando cogitâsse, *eò quòd vanas asserat Dei creaturas*; qua in re concordat Hieronymus cum Talmudistis ac Judæis recentioribus: sed Doctores istos multa ex suo ingenio commentos esse nemo ignorat.

R. Dav. de Pomis, in Lex. Hebr.

Hieron. Comm. in Cap. 12. Eccles.

A quo scripta fuerit historia quam sub nomine Estheris legimus, incertum est: De tempore tamen quo illa condita fuerit, omnes fere tum Judęi tum Christiani consentiunt. Sive enim auctores illius sint viri Synagogæ magnæ, uti sentiunt Doctores Talmudici, sive Esdras, quę Patrum nonnullorum sententia est, sive Mardochæus, ut probabiliùs existimat R. Aben Esra, & liber ipse testari videtur, de tempore quo scripta fuerit historia Estheris lis nulla movebitur. Unde nec malè conjicit Hugo Grotius, Esdram libro suo & historię quam scripsit Nehemias, attexuisse historiam Estheris, quę medio temporum eorum quæ duobus

bus illis libris narrantur contigerat, quam à Mardochæo quoque scriptam fuisse agnoscit idem Grotius.

Canticum Canticorum non alium auctorem habere quàm Salomonem, docet ipsa operis inscriptio quod illius nomine prænotatur. Constat præterea ex libro III. Regum, eumdem Salomonem Parabolas, sive sententias, & Cantica composuisse. Liber autem ille, teste R. Aben Esra, quia fuit Canticorum Salomonis præstantissimum, sortitus est nomen Cantici Canticorum, quasi dixeris excellentissimum carmen. Dubitârunt tamen nonnulli, utrùm opusculum istud quale nunc exstat, à Salomone scriptum fuerit, an verò ex integro illius Canticorum volumine excerptum. Carmen autem illud quo Salomon cum Salamitide loquens inducitur tanquam sponsus cum sponsa, explicatu difficillimum est non solùm ob loquutiones paulò audaciores, frequentioresque similitudines quæ à nostris consuetudinibus abhorrent; sed etiam quòd nomina interloquentium non annotentur, ut in libro Jobi: nam prçter Salomonem & illius Sponsam interloquentes, etiam sunt duo chori Juvenum & Virginum. *Aben Esr. Præfat. in Cant.*

De libro Jobi mirum est quàm secum dissideant Judçorum Magistri. Rem verè gestam in hoc opere non narrari putant Doctores Talmudici, quibus assentiuntur R. Moses Ben Maimon & alii pauci; sed esse figmentum, seu Parabolam, quæ ingens pietatis simul & patientiæ exemplum ostendat: & his suffragantur etiam Christianorum nonnulli. Imò nec defuêre qui non solùm operis istius argumentum confictum existimârunt, sed & Jobi quoque nomen volunt ex primis libri verbis desumptum, ubi legimus *Jobad jom.* Illa enim quç verbis istis prævia sunt, Prologi instar addita fuisse arbitrantur. Sed Ezechielis Prophetç testimonium, qui Noë, Danielis, Jobique simul meminit, demonstrat commentitium non esse Jobi nomen; & eos qui ita sentiunt acerrimè impugnat sapiens Aben Esra, qui suspicatur illum fuisse ex posteris Esau, idque denotari ex loco Huz unde ortus dicitur. Similiter rem uti narratur gestam fuisse, docent Jobi & illius amicorum nomina & alia complura quæ his adjunguntur, etsi non pauca sint quæ ad Parabolam magis quàm ad historiæ veritatem accedant. De auctore verò scripti illius longè minùs adhuc constat: alii quippe illud ad Moysem referunt, alii ad Isajam, alii ad ipsummet Jobum aut ad ejus amicos. Neque etiam inter se consentiunt qui operis hujusce auctorem *Aben Esra Comm. in Cap. 1. Job.*

ctorem faciunt Moysem: sunt enim qui ab eo solùm ex aliena lingua Hebraicè conversum putant. Sed his prætermissis, si quid etiam in re obscura licet suspicari, illos minùs recedere à verisimilitudine arbitror, qui operis illius confectionem ad tempora Captivitatis Babylonicæ revocant: dictio enim sæpiùs vix Hebraica est, scatet loquutionibus Chaldaicis, & sapit hominem qui ex alieno commercio sermonem Hierosolymitanum infecerat. Quo sensu explicanda sunt Hieronymi verba, asserentis Jobum se convertisse ex Hebraico Arabicoque sermone & Syro. Quibus omnibus accedit Judæos, quorum res tùm temporis videbantur desperatæ, magna ex illo opere tulisse solatia. Rem itaque dudum gestam Scriptor narrat: & quia Poëtam agit, licèt argumentum quod tractat non sit fictitium, orationem floridam & figuratam adhibet, verisque interdum adjicit quæ sunt tantùm verisimilia, servato tamen semper personarum loquentium decore. Jam de Prophetis nonnulla subjiciamus.

August. Quæst. in Exod. Prophetæ à B. Augustino appellantur enunciatores verborum Dei hominibus: illi enim veluti Divinæ Legis Interpretes concionabantur ad populum, quem doctrinam à Mose traditam docebant stabilitâ illius auctoritate. Deinde minas & promissiones quas Moyses in genere tantùm promulgaverat, hi suæ ætatis rebus accommodabant, idque Oratorum more; unde fit ut comparationum similitudinibus, metaphoris & hyperbolis abundent, simplicique ac nudâ rerum narratione haud contenti, eas verbis exaggerent. *Neque enim*, ut auctor est Hieronymus, *simplex à Prophetis historia & gestorum ordo narratur, sed ænigmatum plena sunt omnia, aliudque in verbis sonant, aliud tenetur in sensibus, ut quæ æstimaveris planâ & inoffensâ currere lectione, sequentium rursus obscuritatibus involvantur.* Non ita autem futura vaticinantur Prophetæ, quin jam facta sæpius referant, ut evidentissimè probari potest ex Zachariæ Prophetia, quæ magnam partem rei præteritæ & quæ tùm gerebatur, narratio est. Quo modo diligentissimus Scripturæ Interpres Joannes Mercerus in explicandis verbis quibusdam Prophetæ Amos, Judæorum expositionem improbat, qui de rebus futuris ibi agi contendunt, cùm de re jam præterita agatur; moxque verba ista subjungit, quæ notatu digna sunt: *Laboramus penuriâ librorum sacrorum,*

Hieron. Præfat. lib. 18. Comm. in Isaj.

Mercer. in Cap. 9. Amos.

rum, ac sæpè in Prophetis pleraque legas facta, quæ in sacris historiis quæ hodie extant non reperias. Prophetas similiter testatur Hieronymus in suis narrationibus non attendere interdum ad rerum ipsarum ordinem quo gestæ fuerint. *In Prophetis*, ait, *historiæ ordo non tenendus, cùm inpræsentiarum sub eodem Rege priora posteà, & posteriora antè dicantur.* Præposterum illum ordinem tribuit Pseudo-Dorotheus Scribis qui Prophetarum vaticinia ex illorum ore excepta referebant in chartas; quasi Prophetæ ipsimet conciones quas habebant ad populum non commendâssent literis. Idem observavit de Hieremiæ vaticinio Cornelius à Lapide, qui existimat Baruch Scribam illius Prophetæ omnes ejus Prophetias diverso tempore editas in unum volumen collegisse, neglecto temporis ordine quo editæ fuerant. Fatetur & ipse Joannes Calvinus, Prophetarum vaticinia eo quo decebat ordine disposita ad nos usque non pervenisse; non indè tamen illorum divinitati quidpiam detrahi arbitratur. *Qui diligenter*, inquit, *& cum judicio versati sunt in Prophetis, mihi concedent non semper fuisse quo decebat ordine digestas illorum conciones; sed ut ferebat opportunitas, inde conflatum fuisse volumen.* Existimat Sacerdotum operâ, quorum officium erat Prophetias ad posteros commendare, libros Prophetarum, etsi his infensissimi essent Sacerdotes, conservatos fuisse. Scribit præterea idem Calvinus, Prophetas postquam concionem habuêre ad populum, brevem illius summam collegisse, quæ valvis affixa ab omnibus legeretur, posteaque à ministris Templi inde ablata in thesaurum reponebatur in perpetuum rei illius monumentum: unde confectos fuisse conjicit qui nunc extant Prophetarum libros. Verùm ex verbis Isaiæ & Habacuc, quos veritatis illius testes profert Calvinus, id unum probari posse videtur, Prophetas vaticinia sua apertè ac dilucidè, ut ab omnibus intelligerentur & legi possent, super tabulas descripsisse: de valvis autem Templi, quibus illa affixa fuisse putat, nulla prorsus fit mentio. Pariter brevem duntaxat eorumdem vaticiniorum summam ab ipsis Prophetis collectam fuisse, non verò integras conciones ab iis descriptas, fingit perperam; quanquam illas quas nunc habemus Prophetias integras esse, nemo rei criticæ peritus dixerit. Verùm defectus ille, si quis sit, à Prophetis non videtur profectus. Idem Calvinus & eum sequuti Genevenses, inscriptiones

Hieron. Comm. in Cap. 25. Hierem.

Doroth. de vita & morte Prophet.

Cornel. à Lapide.

Calvin. Præfat. in Isaj.

quæ Prophetarum nomina, & editarum Prophetiarum annos indicant, à Sacerdotibus, quorum fuit illas in Templo asservare, majoris lucis causâ adjectas fuisse suspicantur. Hæc siquidem sunt illorum verba: *Il semble que ces titres ayent esté ajoûtez aux revelations des Prophetes par les Sacrificateurs & Levites qui avoient charge de garder les Prophecies au tresor du Temple, aprés qu'elles avoient esté proposées au peuple suivant la coûtume des Prophetes.* Quam Genevensium opinionem suffragio suo comprobavit Hugo Grotius. Id tantùm inter hunc & illos est discriminis, quòd has inscriptiones non Sacerdotibus & Levitis tribuat, sed viris Senatûs magni qui Prophetarum scripta collegerunt, prænotaveruntque tempora scriptionis. Hoc videtur probabilius, quia in confesso est fermè apud omnes, Senatum cui Esdras præfuit, nonnulla sacris codicibus connexionis & explicationis causâ adjecisse. Ita quoque Thomas putat inscriptiones quæ Psalmis aliquot apponuntur, eumdem Esdram auctorem habere, factasque fuisse, *partim secundùm ea quæ tunc agebantur, & partim secundùm ea quæ contigerunt.* Demum verisimile etiam est historias illas, quę Prophetarum quorumdam concionibus insertę reperiuntur, ab iisdem Senatoribus additas fuisse dum sacros codices recognoscerent formarentque quem nunc habemus Scripturę Canonem. Secundùm quam rationem putant nonnulli verba illa quę leguntur Hieremiæ Capite 51. *Hucusque verba Hieremiæ*, Prophetæ hujus vaticinium claudere, Caputque quod sequitur Prophetiam non esse, sed historiam, quæ ex fine libri IV. Regum sumpta fuerit. Et in hoc Judæorum Magistri consentiunt cum pluribus Doctoribus Christianis. Auctor est enim R. David Kimchii, verba illa, quæ usque ad finem vaticinii Hieremiæ allata sunt, ad hujus Prophetiam non pertinere; sed eum qui librum hunc descripsit, huc conjecisse deportationis historiam qualis extat in fine libri Regum: Conjicit Abravanel Esdram, seu Synagogæ magnæ Senatores, supplementi illius auctores esse, quo etiam modo Ezechiæ Regis historia ex libri II. Regum Capite 18. in Isaiæ Prophetiam translata est. Ex his omnibus facilè dignoscetur qui fuerint apud gentem Hebræam Prophetæ, quale illorum officii munus, & quę eorumdem scribendi ratio. Præterea id etiam videtur animadversione dignum, quòd Prophetę non solùm conciones ad populum habuerint, ediderintque de rebus futuris vaticinia, sed & historias suorum temporum ordine digestas in Acta publica retulerint. Quo pacto Isajas, qui

Genev. in edit. Bibl. ann. 1665. Præf. in Isaj.

Grot. Annot. in Cap. 1. Amos.

Thom. Comm. in Psalm. 6.

R. Dav. Kimchi, Comm. in Cap. 51. Hierem.

qui Regis Oziæ gesta descripsisse dicitur, non minùs historici quàm Prophetæ nomen reportabit. Vel potiùs Prophetæ nomen apud Hebræos ista omnia complectitur; ita ut quicunque divinæ voluntatis erant interpretes, seu vaticinia ederent, sive res suorum temporum conscriberent, Prophetæ appellarentur. Ex quo haud dubiè venit ut prisci Judæi *Neviim*, seu Prophetarum nomine insignierint Josuæ, Judicum, Samuelis & Regum historias, quòd hæ descriptę essent à viris qui in eorum Republica Spiritu Sancto afflati, Prophetæ nominabantur. Quo etiam sensu verè affirmavit Josephus, apud gentem suam non à quibuslibet libros componi, sed à Prophetis tantùm. Vim quoque vocis illius probè assequutus est Jonathan, qui pro dictione Hebræâ *Navi*, *Propheta*, aliam quæ significat Scribam in sua Paraphrasi interdum substituit; quasi qui Prophetæ appellantur, iidem sint atque Scribæ. Neque aliud sapientissimus Esdras in sacris codicibus nomen obtinet, quàm Scribæ peritissimi. Verùm de Scriptoribus sacris satis superque hactenus dictum sit. Libros Apocryphos, seu quos non admittit Judæorum armarium, silentio præterire visum est, quia illorum auctores, ut præfert nomen *Apocryphi*, occulti sunt & incerti. Cesset itaque doctissimus Vossius optimum Simonium & de literis sacris benè meritum allatrare, qui de Scriptoribus Veteris Testamenti nihil in publicum edidit, quod jam à viris gravissimis iisdemque pietate & eruditione conspicuis approbatum non fuerit. *In malevolam animam non introibit sapientia.*

FINIS.

EX-

EXCERPTA
EX
DISQUISITIONIBUS CRITICIS
RICHARDI SIMONIS,

Gallicanæ Eccleſiæ Theologi.

EXCERPTUM I.

SOlas Judæorum Scripturas veras eſſe ac primigenias, communis eſt Theologorum, quos vulgò Proteſtantes vocant, opinio; qui inter diſputandum cum Doctoribus Catholicis, ad codices Hebræos ſemper recurrunt, ſiquando ab his diſſentiat Latinus Interpres, quem in multis errâſſe arbitrantur. Inde factum eſt, ut Theologi illi, qui Reformatorum nomen ambiunt, antiquas Eccleſiæ verſiones parvi fecerint, ſi perpaucos excipias, qui nævos etiam in contextu Judaico, non ſecus ac in illius Interpretibus, deprehenderunt. Verùm longè ultra progreſſus Iſaacus Voſſius à receptis Proteſtantium moribus receſſit, ac palàm Judæos falſitatis accuſavit, quòd multa è ſuis codicibus Chriſtianæ Religionis odio de induſtria poſt Chriſti adventum & everſa Hieroſolyma, expunxiſſent; eoſque qui Judæorum cauſam agunt acriter ſuggillat, & Doctores ſuæ ſectæ, qui hodiernam codicis Hebræi lectionem tueantur, appellat *aſellos caſſos lumine & intellectu, togâ cinctos profeſſoriâ, pro clypeo geſtantes Biblia Maſorethica cum omnibus ſuis punctis.* Firmiſſimas Voſſium aſſertionis ita liberæ rationes habere, quis non credat? At quàm graviter allucinatus ille fuerit, ex his quæ mox dicentur manifeſtum fiet. *Quis locus*, inquit, *qui de Meſſia agat in ſacris occurrit literis, quem illi non corrumpere aut ſiniſtrâ interpretatione enervare ſunt conati?* Et paulò poſt: *Cùm viderent tempus adventûs Meſſiæ præteriiſſe, expleti quippe erant anni ſex mille à creatione mundi, ut lucrarentur annos bis mille, tota quatuordecim ſæcula è codicibus*

Iſaac. Voſſ. Epiſt. ad Andr. Colv.

Voſſ. Diſſert. de Sept. Præfat.

dicibus suis expunxerunt: residua quinque vel sex sæcula ut abolerent, decurtârunt intervalla Judicum, omittendo Anarchias, & contrahendo spatia Regum Persicorum. Hoc pacto totis bis mille annis mensuram temporis mulctârunt. Sed hæc mera sunt Vossii commenta, qui non solùm Judæos accusat, sed & à Samaritis idem facinus commissum fuisse auctor est, licèt dispari ratione. Verùm prisci Ecclesiæ Patres Africanus, Origenes, Eusebius, Hieronymus, Augustinus & alii qui hanc Judæorum codicis ab Hebræis exemplaribus in rebus chronologicis discrepantiam animadverterunt, de hac depravatione Judæis objicienda nunquam cogitârunt. Imò Augustinus hac in parte Judæorum exemplar Græco præferendum esse non veretur interdum asserere, in eaque est opinione, *ut ei linguæ potiùs credatur, unde est in aliam per Interpretes facta translatio.* Justinus Martyr, qui disputans adversus Tryphonem Judæos variis modis exagitat, ut Græcam, quę tunc sola in Ecclesia auctoritatis aliquid obtinebat, LXX. Seniorum interpretationem vindicaret, de mutata ab iis Chronologia, ut causæ suæ patrocinarentur, ne verbum quidem protulit.

Notatum Vossius.

B. Augustin.

B. Justin.

Prętera, si Judæis in mentem venisset codices Hebræos corrumpere, ne tempus quo in sacris literis venturum esse Messiam significatur elapsum esse videretur, longè potiori titulo Danielis vaticinium, quod accuratè tempus illud observat, quàm libros Moysis aut Judicum, depravâssent. Prophetiam autem Danielis, quæ magnam partem Messiæ tempora respicit, integram remansisse in confesso est apud omnes, & hâc Judæos valde premi negare non audet ipse Vossius. Sed latebras quærens affirmat antiquos Judæos non tantùm Danielem à choro Prophetarum segregâsse, sed & negâsse fuisse Prophetam. Verùm nunquam intellexit vir doctus, quo sensu Judæi Danielem Prophetarum choro minimè adscriberent. De hoc negotio, uti jam supra observatum est, frustra Christiani cum Judæis disputant: utrique enim lubentes agnoscunt in libro Danielis multa extare de Messia venturo vaticinia, & hunc Spiritûs Sancti opus esse non secus ac reliquos Scripturæ Sacræ libros. De Davide eadem prorsus fingunt Judæi, atque de Daniele: non ideo tamen Spiritûs Sancti afflatum ab eo removent. Contrà in Psalmis etiam multa haberi quæ venturum Messiam prænunciant, palàm asserunt, & si quid sit inter illos & Christianos hac in parte discriminis, mera est de nomine, ut jam alibi probatum est, controversia: dum illi aliter Scripturæ Sacræ libros partiuntur

atque Christiani. Sed suo seipsum gladio jugulat Vossius, dum ob res chronologicas Judæos falsitatis reos peragit; quandoquidem hodierna contextûs Hebraici Chronologia Judæos longè magis urget, quàm illa quæ ex Græca LXX. Interpretum versione ducitur; nec id Judæi ipsi diffitentur in libris Talmudicis, ubi non eunt inficias jam expletum fuisse tempus quo venturus erat Messias, sed addunt illum propter eorum iniquitates non advenisse. Hæc sunt Talmudistarum verba. *Domûs Eliæ traditio hæc est: Mundus constabit sex annorum millibus: annorum erunt duo millia inanitatis, seu ante Legem: duo etiam millia annorum Legis: & duo millia annorum temporis Messiæ. Sed ob iniquitates nostras, quæ multæ sunt, præterière anni illi, qui jam elapsi sunt.* Vossius, qui istud Elię effatum ad institutum suum trahere conatus est, in pluribus erravit: primò enim laudare videtur illud quasi revera ab Elia Propheta, aut ex ejus libro, *quem olim*, inquit, *Veteris Testamenti scriptis annumeratum fuisse constat*, desumptum fuerit. Sed Elias iste Doctor fuit Talmudicus, sicuti R. Hillel, R. Schammai, R. Johanan, & alii bene multi quorum nomina & sententiæ in Talmude referuntur. Deinde figmentum est quod ait bis mille annos qui Legem Moysis præcessêre non à principio creationis debere numerari, sed à Diluvio, vel ab illo tempore quo Noæ dixit Deus, velle se mundum perdere. Longè siquidem diversa est hoc loco Judęorum sententia de sex annorum millibus quibus mundus duraturus erat, secundùm Magistri Eliæ traditionem. Vaticinii enim illius fundamentum ex sex diebus creationis petitum est; ita ut sicuti Deus intra sex dierum spatium mundum creavit, similiter idem mundus sex annorum millibus perduraturus sit: idcirco annorum mundi supputatio inde jam à prima rerum omnium creatione sumi debet. Magistri qui Commentariis suis Talmudis libros illustrant, bis mille annorum numerant à primo homine condito usque ad tempus illud quo Abraham relicto idolorum cultu veram Dei unius Legem amplexatus est. Tunc secundùm illorum supputationem annum vitæ agebat quinquagesimum secundum. Frigida autem sunt quæ profert idem Vossius, ut probet ex B. Petri Epistola, mundi de quo agitur initium arcessendum esse à Diluvio, quòd Apostolus ille veterem mundum eum vocaverit qui Diluvium præcessit; terram verò quam nunc habitamus mundum alterum: hęc, inquam, frigida sunt & extra propositi hujusce rationem. Sed non est cur fictitiæ Doctoris Eliæ de mundi duratione

Talm. in Tractat. Sanhedr. & in Avoda Zara.

Voss. de Sibyllin. Oracul. cap. 8.

Talmudistarum sententia de mundi duramine.

duratione Prophetiæ diutius immoremur, neque etiam ratio habenda est libri illius Prophetiarum Eliæ, quem falsò putat Isaacus Vossius, Eliæ Talmudici nomine deceptus, inter Veteris Testamenti libros olim collocatum. Alias si quæ sint majoris momenti probationes ab eodem Vossio productæ adversus Judæos, expendamus.

Nonnulla deinde Vossius adversus Judæos congerit, ut conficiat illos non pauca Scripturæ Sacræ loca mutilâsse, atque in primis Justinum Martyrem opponit, qui scribat complura olim à Judæis inquinata fuisse exemplaria. Verùm jam iis omnibus quæ ex Justini auctoritate sumi possunt rationibus abundè satisfecimus. Contextum Hebræum nunquam consuluit Justinus, imò nec consulere potuit; cùm ex illius scriptis manifestum sit, eum linguam Hebræam non calluisse. *Sed quos non lusus*, inquit Vossius, *dedisset sanctissimus Martyr Tryphoni & innumeris aliis inter quos versabatur Judæis, si non vera fuissent ea quæ illis intentat crimina?* Sed hæc argumentandi ratio digna non est homine erudito, qui in evolvendis B. Justini libris deprehendere poterat multa illi excidisse. At pergit Vossius. *Vaticinium de Christo quod occurrit Psalmo 22. ubi pro* foderunt *substitutum est* tanquàm leo, *fuisse ab iis depravatum fatentur plerique Christiani, exceptis Fanaticis quibusdam & sesqui-Judæis.* Verum quidem est ob id à plerisque Theologis in jus vocari Judęos, quasi deditâ operâ locum istum corruperint. Sed absit ut Fanaticos ac sesqui-Judæos illos esse pronunciem, qui hoc crimen à Judæis amoliuntur, cùm R. Jacob Ben Hajim Masoræ instaurator lectionem *caru*, *foderunt*, quæ Christianis favet, in nonnullis exemplaribus se inveniſse palàm testetur. Neque mirum videri debet, quòd Masorethæ eam, quæ causam suam magis tuebatur, lectionem amplexati fuerint. Eam quidem quam Græci Interpretes & Hieronymus repræsentant veriorem esse agnosco; non ideo tamen accusandi sunt Judęi qui è duabus lectionibus unam selegerint, quę ad res suas magis accommodabatur. Quin & fieri potest ut ea solùm in Masorethicis exemplaribus lectio exhiberetur, quam hodie exhibent. In lectionibus *cari* & *caru* parùm esse discriminis, nôrunt omnes qui rei criticæ periti sunt, & quàm facilis ac frequens sit literarum *Jod* & *Vau* inter se permutatio. Neque dixeris literam *Aleph* in dictione *cari* scriptam reperiri, minimè verò in dictione *caru*, adeoque mutationem non ita facilem fuisse. Sed alia sunt, & quidem haud infrequentia in

Voss. de Septuag. Interpr. cap. 8.

Notatur Voss.

R. Jacob, in Bibl. Venet.

sacris codicibus superfluæ hujusce literæ exempla, quæ Masorethis ipsis non fuêre incognita. Quare Græci Interpretes & B. Hieronymus illam veluti superfluam reticuerunt, vel ab eorum exemplaribus aberat; secus verò Masorethæ, qui illam agnoscunt.

Vana sunt etiam quæ ex loco Zachariæ, Cap. 12: 10. objicit Vossius, quasi antiquam Judæi lectionem, quam prisci Interpretes in suis exemplaribus habuere, de industria mutaverint: at nemo non, artis criticæ peritus, judicabit hanc diversitatem ortam esse ex diversis exemplaribus, dum in aliis legitur *dakeru*, in aliis autem *rakedu*, ob facilem videlicet literarum *Resch* & *Daleth* in se invicem permutationem. Nec video cur ob id, & alia id genus sexcenta, Judæi potiùs in crimen falsitatis adducantur, quàm Græci, Latini, cæterarumque nationum Scribæ, qui similiter in describendis suis codicibus labuntur. Hanc literarum similium commutationem in omnibus linguis reperiri necesse est, unde postea in gens codicum nata est discordia. Qua de re consulendum est in primis Scioppii de Arte Critica opusculum, qui totum istud negotium egregiè illustravit. Leo quoque Allatius, vir in evolvendis codicibus MSS. diu versatus, varia Criticorum in rei hujusce confirmationem loca congessit: cujus verba huc referre non pigebit ex illius animadversionibus in Antiquitatum Etruscarum Fragmenta, quæ ab Inghiramio edita fuerant. *Præterea*, inquit, *tot exscriptorum errata, tot literarum, tot nominum in antiquorum monumentis mutationes, si ingenuè agimus, à nullo alio quàm à capitalibus hisce corrivârunt, ob literarum similitudinem quam inter se capitales, non autem minusculæ, servant. Exemplis, sed paucissimis, ex aliorum animadversionibus agamus, ne ista curiosius ipse perquirere, ab inficeto nescio quo, dicar. Josephus Scaliger in Varronem de Re Rustica, lib. 2. cap. 3. Mediam non Meliam propter familiarem veteribus τὸ L in D mutationem, ut Melicæ contra gallinæ dictæ, quæ Medicæ dici debebant; & alibi librarios imperitos sæpè pro I, L, & contrà scribere. Godeschalcus Stewichius in libro 1. Appuleii ait, sæpè in mutuum locum immigrâsse has literas, D & T; & in libro 5. causam depravandi sententiam asserit similitudinem literarum B & P; nam & has, ut & R, non semel ex affinitate commutatas, testes Quintilianum & Plinium adducens, quorum verba & monita de majusculis & Romanis literis accipienda, quòd iis antiquis in libris describendis usi fuissent. Joannes Isacius Pontanus in Glossario prisco Gallico, non in dissimili argumento, B & P mutationem, solennem meta-*

Leo Allat. in Antiq. Etrusc. pag. 55.

stasin

ſtaſin vocat. Scioppius de Critica tradit, exempliſque ex variis fusè probat, C *in* G, D *in* L, F *in* E, P *in* B *&* R; *& vice versâ,* L *in* D, E *in* F, R *&* B *in* P, *ob ſimilitudinem commigrâſſe.* Habent quoque inter ſe quamdam ſimilitudinem majuſculæ Græcorum literæ. Ita facillima eſt literarum Græcarum Β, Γ, Ρ, necnon Γ & Τ, atque Δ & Λ commutatio. Quibus addi poſſet non tantum inter literas etiam minuſculas reperiri diſcrepantiæ, quin ſæpius ob earum quam ſervant inter ſe ſimilitudinem, aliquid confuſionis oriatur. Quo pacto, ut innumera ſileam, quando apud Græcos legendum ſit ὑμῖν, quando ὑμῶν, & apud Latinos *orbis* vel *urbis*, ſæpè in incerto eſt. Varias codicum ſuorum lectiones ſibi objiciunt Chronographi, Hiſtorici & alii paſſim, quorum exempla ubique proſtant: exempli causâ, hactenus Dagobertum Francorum Regem Nanthildem, puellam elegantis formæ, è Monaſterio raptam, totius gentis conſilio uxorem duxiſſe communiter receptum fuerat. Verùm ætate noſtrâ viri clariſſimi, Jacobus Sirmondus, Adrianus Valeſius & alii in codices MSS. inciderunt, qui non habeant, *Nanthildem, unam ex puellis de Monaſterio, in matrimonium accipiens Reginam ſublimavit*, uti pravè Fredegardi contextum Aimonius laudaverat; ſed, *Nantechildem unam ex puellis de miniſterio accipiens*, &c. ſicut in MS. Fredegardi codice à ſe lectum fuiſſe animadvertit Sirmondus. Ejuſmodi allucinationes, quæ non ſolùm ex literarum ſimilitudine, ſed & ex innumeris aliis cauſis naſcuntur, reperire eſt in omnibus manu exaratis, cujuſque linguæ ſint ac conditionis. Unde poſtea lectionum monſtra orta ſunt, quæ Criticorum ingenia valdè contorquent, & graviſſima inter Grammaticos diſſidia excitant. Ita qui ſe germanos Ciceronis imitatores jactitant, ſuam ſibi interdum Ciceronianiſmi imperitiam exprobrant, non aliam ſæpè ob cauſam, quàm quòd diverſis in evolvendis Ciceronis operibus codicibus uſi fuerint, quorum indolem bellè notavit Henricus Stephanus. *Henric. Stephan. Præfat. Caſtigat. in Cicer.*

Sed ne ea quæ ab imperitis duntaxat ignorari poſſunt, prolixiùs annotem, unam operum Ciceronis editionem in exemplum proferam, quæ ex officina Elzeviriorum anno M. DC. LXI. accurante Schrevelio, prodiit; in qua editione diverſę aliarum editionum codicumque manu exaratorum lectiones ad oram libri utiliſſimè relatæ ſunt. Si & in Hebraicis exemplaribus idem præſtitum fuiſſet, & ad illorum margines variantes omnes lectiones, quę

ex diversis codicibus cùm MSS. tum editis, necnon ex vetustis translationibus sumi poterant, fuissent observatæ, Judæos ob hanc codicum diversitatem exemplaria sua corrupisse nemo sanus dixerit; sed ex diversis istis lectionibus meliorem quisque seligeret, ut olim Hieronymus, qui Commentariis suis in Prophetas à Græca LXX. Interpretum translatione sæpius recedit. Ita, Magistrorum suorum lectioni addictissimus, in Caput 2. Oseæ, hęc animadvertit: *Pro saltu quoque, quod Hebraicè dicitur* jaar, *LXX. transtulerunt* testimonium, *Resch & Daleth literarum falsi similitudine: si enim pro Resch Daleth legatur*, testimonium *dicitur*; *ita duntaxat ut Jod litera non legatur.* Iterum ad Caput 5. ejusdem Prophetæ notat LXX. Interpretes, quòd pro חדש *mensis*, legerint חסיל *rubigo.* Et ad Caput 9. quęrens cur ubi LXX. habent, *Caro mea ex eis*, ipse verterit *Cùm recessero ab eis*, hæc habet: *In eo loco in quo nos diximus, Væ eis cùm recessero ab eis, LXX. & Theodotio transtulerunt, Væ eis caro mea ex eis; quærensque causam cur sit tanta varietas, hanc mihi videor reperisse, caro mea linguâ Hebraicâ dicitur* besari. *Rursum si dicamus, recessio mea, sive declinatio mea, dicitur* besuri. Simili ratione nihil causæ fuit cur Hieronymus à recepta illa LXX. Seniorum versione, Πῦ ἡ δίκη σϑ, *Ubi causa tua*, recederet; quam suâ auctoritate B. Paulus confirmaverat, nisi quòd aliam lectionem præferrent ejus exemplaria, & pro איה *ubi*, per transformationem literarum legeret אהי *ero.* Similem transpositionem longè satius est observare in *dakeru, transfixerunt*, & *rakedu, insultarunt* apud Zachariam, quàm Judæos cum Vossio suggillare, quasi mutationem istam in contextum deditâ operâ invexerint. Sed his aliisque ejusdem naturæ diversitatibus contexendis supersedeo, ne prolixiori eorum recensione molestus sim, maximè cùm à Theologis, qui suis explanationibus sacra volumina illustrârunt, diligenter observentur.

B. Hieron.

Rectè quidem Vossius Judæorum codices in multis vitiatos esse scripsit: quorum scilicet eadem omnino sors fuerit atque Græcorum Latinorumque librorum; dignusque est Georgius Hornius qui sibilis omnium excipiatur, cùm doctissimo Vossio opponit sanctiones Regum, Principum ac Magistratuum, quibus volunt ut eæ solùm in Ecclesiis contextûs Biblici versiones legantur, quæ ad exemplaria Hebraica adornatæ fuerint; quasi verò ejusmodi sanctiones Principum codices Judęorum ab omni prorsus menda integros servare potuerint. At in eo castigandus etiam Vossius, quòd nonnullos

nullos ejusmodi errorum à Judæis consultò in sua exemplaria & ex odio Christianæ Religionis invectos fuisse pertinaciùs contendat. Ita ad verba ista Geneseos, *Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est*, hæc animadvertit: *Hunc locum non tantùm in versione Græca, verùm etiam in omnibus codicibus Hebræis mutilârunt Judæi, rescribendo* שלח *pro* שלה; *uti observatum compluribus, quorum opinionem confirmat codex Samariticus.* Sed quis nesciat olim in contextu Hebræo literam *Jod* ante inventa puncta vocalia, modò *i*, modò *e* vocalium locum tenuisse? & hanc non solùm, sed & alias vocales, quas vulgò *Ehevi* appellant, pro Scribarum arbitrio neglectas fuisse? Sive igitur scribatur שילה, ut in hodiernis Masoretharum codicibus, sive שלה, uti legisse videntur LXX. Interpretes, ob id in crimen falsitatis adduci non debent Judæi, qui in suis exemplaribus vocalem *Jod* retinuerunt. Fieri etiam potest ut Græci Interpretes eam in suo exemplari legerint, quandoquidem idem est omnino dictionis illius sensus, sive per *Jod*, sive absque *Jod* efferatur, quia litera *Jod* non minùs per vocalem *e* quàm per *i* potest pronunciari. At Masorethæ, qui legendum esse *schilo* arbitrati sunt, priscam literam *Jod* retinuêre, quâ non obstante, etiam hodiernis temporibus cum Græcis Interpretibus legere possumus *schelo*, uti revera legunt nonnulli Judæorum Magistri. Hęc non debuit ignorare Vossius, qui toties Judæos in jus vocat, quique scribit, eos qui negant hunc locum à Judæis corruptum esse, Prophetias omnes abolere. Eadem omnino codicis Hebræi ratio extitit ante & post Christi tempora; nihilque prorsus causæ est, cur depravationes, si quę fuerint in illo ante Christi adventum, illas tribuat Vossius errori & incurię librariorum; eas verò quæ in exemplaria Hebraica post Christi adventum intrusæ sunt, vitio animi adscribat. Masorethis etiam Tiberiensibus plus æquo detrahit Vossius, dum illos vocat homines barbaros, & in vernacula quam jactant lingua peregrinos, à quibus nihil aliud quàm vitiosum & ab omni ratione alienum proficisci potuit. Illos quidem non fuisse Prophetas cum Vossio lubens agnosco; eosdem quoque punctorum vocalium & apicum auctores esse non diffiteor: at quis inde conficiat eos barbaros fuisse, & linguæ Hebraicę imperitos, ac demum Scripturas punctis & apicibus onerari potiùs quàm exornari. Si vera sunt quę de seipso jactitat Vossius, vidisse plures quàm bis mille codices Hebraicos manu exaratos, artis Masorethicæ

Genes. 49: 10. *Voss. de Septuag. Interpr. cap.* 8.

Ibid. cap. 30.

sorethicę eum prorsus ignarum non fuisse credibile est. Hęc opus est Judęorum Tiberiensium, qui codicis Hebraici lectionem, qualis tunc usu publico recepta erat, adhibitis punctis vocalibus determinârunt. Masoræ nomen illi inditum est, quòd traditionem seu legendi contextûs Hebraici rationem diuturno usu comprobatam amplexati fuerint. De illorum Critica idem planè judicium ferri debet, ac de Græcis Latinisque libris, qui à viris eruditis castigati & recogniti fuêre. Celeberrimæ apud Judæos Scholę præfuerunt Magistri illi Tiberienses, qui conquisitis undique Bibliorum exemplaribus, accuratam illorum editionem evulgârunt. Nihil ab illis in hoc negotio præstitum est, quod in crimen verti possit. Et hęc illorum correctio, quantumlibet accurata, aliis non obfuit, quin eadem exemplaria adhuc recognoscerent, eademque etiam nostrâ ætate ad Græcam LXX. Interpretum versionem & Latinam Hieronymi recognosci posse existimo, in locis quibus illorum exemplaria à Masorethicis variâsse constabit. Non ideo tamen Judæos cum Vossio falsitatis accusabimus, quia illorum codices iidem omnino non sunt, atque illi quos ad condendam translationem suam adhibuêre Gręci Interpretes : sed dicemus diversas lectiones non minùs reperiri in Hebræorum exemplaribus, quàm in Græcorum, Latinorum, cæterarumque gentium libris. Rabbinorum traditionibus solo auditu propagatis nihil solidi subesse putat Vossius; *& quæ solo auditu propagantur traditiones*, inquit, *rarò solent ad duo vel tria perstare sæcula.* Sed quid hęc faciunt ad eam de qua in præsentia agitur traditionem? De oralibus Judæorum, ut vocantur, traditionibus, quas meritò à prudentioribus explodi agnoscit, nulla est controversia; sed de ea tantùm quæ Masora appellatur, quamque Judæi Carraitę, qui pleraque Judęorum traditiones velut anilia commenta respuunt, amplexati fuêre. Si hanc rejiciat Vossius, rejiciat quoque necesse est librorum Chaldaicorum, Syriacorum & Hebraicorum, qui nonnihil antiquitatis præ se ferunt, lectionem: iis enim omnibus, simili prorsus ratione atque Hebraicis, puncta vocalia, quę certam facerent illorum lectionem, addita sunt. Traditionis itaque hoc loco nomine, nihil aliud intelligimus quàm receptam & longo usu confirmatam codicis Hebraici lectionem. *Sed codex ille*, inquit Vossius, *mutus est, quem nec legere, nedum intelligere, quisquam sciat, utpote truncus mediâ sui parte, nec aliis quàm quas Christianæ fidei inimici apposuêre instructus vocalibus.* Minùsne truncus erat

De Masora judicium.

Voss. Responsa ad nuper. Critic. Refellitur Vossius.

erat codex ille LXX. Interpretum ætate, cùm nihil omnino punctorum vocalium in eo appareret? Ea est linguæ Hebraicæ, ut & cæterarum Orientis linguarum, natura, ut pauciſſimas vocales repræſentet; adeo ut librorum qui ſermone Hebræo, Chaldaico, Syriaco & Arabico ſcripti ſunt, lectio non parum ab uſu dependeat, quem hîc traditionem, ſeu Maſoram, cum Judæis vocamus. Jam à quibus uſus iſte legendi codicis Hebraici ſumi potuit, quàm à Judæis? *Verùm*, inquit Voſſius, *Judæi inimici ſunt Chriſtianæ fidei.* An ideo codices ſuos legere dedidicerunt quia Judæi? Imò niſi Judæi eſſent, codices Hebræos in Synagogis non legerent: nec ab aliis quàm ab iſtis illorum lectio ad Chriſtianos derivari potuit. Judæi quoque erant LXX. Seniores à quibus totus dependet Voſſius, iique non aliam contextûs Hebraici lectionem ſequuti ſunt, quàm quæ uſu publico ætatis ſuæ apud Judæos recepta erat. Quapropter id omne quod regerit Voſſius in Hebræum codicem, quòd ſit liber dimidiatus & mediâ ſui parte truncus, affirmari etiam poteſt de codice Hebræo quo uſi ſunt Græci Interpretes: neque tam codex accuſari debuit, quàm linguæ Hebraicæ ingenium; & ob eamdem rationem reliquæ linguæ Orientales accuſabuntur, quaſi dimidiatæ ſint linguæ. Iterum tamen, & uſque ad nauſeam, inculcat Voſſius mutum eſſe Hebræum codicem, &, vel ipſis agnoſcentibus Rabbinis, truncum mediâ ſui parte, utpote veris deſtitutum vocalibus. Sed quæ ſint veræ codicis Hebraici vocales fingit ſe ignorare, dum illis eum deſtitutum tam fidenter aſſeverat. Priſcæ ſiquidem Hebræorum vocales ſunt, ut ipſe alibi non diffitetur, literæ *Aleph*, *He*, *Vau* & *Jod*, quibus & alias adjungit Hieronymus. Sed quòd populi Orientales rarò inter ſcribendum eas adhiberent, puncta vocalia excogitârunt viri Critici, quò facilior promptiorque eſſet librorum lectio. Verùm parum conſentaneè loquitur Voſſius, nec tam ex rei veritate, quàm ex præſumpta adverſus Judæorum codices opinione.

EXCERPTUM II.

IN rebus criticis non tam quid ab aliis dictum fuerit, quàm quid perspectis omnibus dicendum sit, animum debemus advertere, de hoc potissimùm soliciti, ut non modò quid quisque loquatur, sed etiam quid quisque sentiat, & qua etiam de causa quisque sentiat exactiùs inquiramus : plerique enim dum ex aliorum auctoritate mentem suam confirmant, Scriptores sæpius ex singulis vocibus, quàm ex sententiæ perpetuitate & constantia spectant. Ita quàm fœdè in hac parte erraverit Isaacus Vossius, dum Justini Martyris aliorumque Patrum testimonia in opus suum de LXX. Interpretibus transtulit, jam ostendimus, simulque illum tam in Judæos quàm in illorum codices plus æquo injuriosum esse demonstratum est. Nimirum, ut optimè aliàs à B. Hilario annotatum, *Immoderata est omnis susceptarum voluntatum pertinacia, & indeflexo motu adversandi studium persistit ubi non rationi voluntas subjicitur, nec studium doctrinæ impenditur, sed iis quæ volumus rationem conquirimus, & iis quæ studemus doctrinam comparamus.* Similibus fere rationibus adductus fuisse videtur doctissimus Vossius, ut Hebræos Judæorum codices elevaret, & Græca LXX. Seniorum exemplaria assereret. Contendit igitur hos Interpretes Spiritu Sancto afflatos fuisse, qua in re sibi consentientes habet Patres omnes priscę ætatis, si unum exceperis Hieronymum, quem tam de Judæis Bibliorum corruptoribus, quàm de Prophetia & afflatu LXX. Seniorum sibi contrarium sentit. Beatus quidem Hieronymus omnium fere ætatis suæ Doctorum maledicta in se convertit, quòd viam communem & longo Ecclesiarum usu approbatam deserens, ad Judæorum castra videretur se recipere, parumque abfuit quin ab Ecclesia tanquam novator ejiceretur; imò & ętate nostrâ illius versionem damnat Vossius, eamque appellat Rabbinicam: sed doctissimus ille Pater reprehensoribus istis occurrens, qui damnare possunt, docere non possunt, Artem Criticam exercuit, & iis à quibus reclamatum est, suis libris abundè satisfecit. Nec mirum profectò si in nonnullis attentior & copiosâ linguarum supellectili instructior Hieronymus à veteribus recedere non dubitaverit: manifestos quippe errores æquitas minimè defendit. Novi quidem in rebus fidei aliquid divini præ se ferre Doctorum Ecclesiæ consensum : at ille cordatus non est nec religiosus,

Hilar. lib. 10. de Trin.

Isaac. Voss. de Septuag. Interpr. sententia.

gioſus, qui in iis rebus quæ non ſunt fidei à Patrum ſententia diſcedere reformidat, mavultque aliorum ſcriptis quàm oculis ſuis & experientiæ credere. De ſeipſo longè aliud olim ſentiebat Auguſtinus, qui optat ut alii de ſuis operibus judicent. *Neminem*, inquit, *velim ſic amplecti omnia mea, ut me ſequatur, niſi in iis in quibus me non errare perſpexerit.* *Auguſt. lib. de dono perſev. cap. 21.*

Non eſt igitur cur Voſſio hac in parte aſſentiamur, qui contra B. Hieronymum LXX. Interpretes velit divino Numine afflatos fuiſſe, & ab omni prorſus errore, etiam leviſſimo, liberos. Imò, quaſi eum puduerit Interpretes illos Prophetarum nomine donâſſe, ſeipſum poſtea veluti caſtigans affirmat Prophetam vetuſtis Scriptoribus idem eſſe quod Interpres, illoſque Prophetas eſſe, teſte Apoſtolo, qui Scripturas rectè interpretati ſunt. Sed cur latebras hîc quærit Voſſius, & ad profanam, ut ita loquar, eruditionem recurrit, ut demonſtret in eo errare Hieronymum, cùm ſcribit aliud eſſe Prophetam, aliud Interpretem; quaſi ipſe contradixerit Apoſtolo, qui pluribus in locis προφητεύειν ſumpſit pro interpretari? Verùm hîc non errat Hieronymus, qui vocis illius proprietatem optimè noverat, quandoquidem animadvertit Poëtam Græcum à Paulo Prophetam vocatum fuiſſe. Sed in Reſponſione ſua ad Objectiones nuperæ Criticæ Sacræ Voſſius ubique tergiverſatur. Ita quid illi cauſæ fuit cur non modò Apoſtolorum & Euangeliſtarum, ſed & Philonis, Feſti, Platonis & aliorum proferret teſtimonia, ut evincat eos non tantùm qui futura prædicerent dictos fuiſſe Prophetas, ſed & qui preterita & præſentia explicarent; quandoquidem ea de re inter illum & Scriptorem Criticæ Sacræ nihil erat controverſiæ? Dum negavit Hieronymus, LXX. Seniores Prophetas eſſe, eoſdemque Interpretes duntaxat fuiſſe aſſeverat, Prophetam eo loco idem eſſe arbitratus eſt atque hominem Spiritu Sancto afflatum, quo nimirum ſenſu Patres omnes Græcos illos Interpretes appellaverant Prophetas; nec aliâ ratione nomen illud Prophetæ uſurpavit ipſe Voſſius, qui tam confidenter illorum θεοπνευστίαν ſive afflatum divinum aſſeruerit. *Non ſum neſcius*, inquit, *multorum me incurſurum non reprehenſionem tantùm, ſed & odium, quòd tam magnificè de hac verſione ſentiam, & adeo quidem ut vix dubitem eam divinitùs inſpiratam appellare: ſed quænam rogo poſſit excogitari ratio, quamobrem non id ipſum credam quod jam ab Apoſtolorum temporibus omnes credidêre Chriſtiani, exceptis duntaxat paucis nimio plus faventibus ſequiorum* *Hieron. Comm. in Ezech.* *Voſſ. Reſponſ. ad Object. Critic. pag. 6.* *Voſſ. de Septuag. Interpr. cap. 25.*

rum temporum Judæis? Inter hos haud dubiè B. Hieronymum collocabit. Deinde probat fusiùs eorumdem Interpretum θεοπνευστίαν, argumenta eorum infringens, qui dicunt hos non potuisse afflari Spiritu Sancto aut Prophetico, quia Judæi testantur tempore Templi secundi defuisse donum Spiritûs Sancti & Prophetiæ. *Illud*, inquit, *omnino est Rabbinicum & nugatorium.* Sed non minùs nugatoria sunt quæ ille affert adversus Hieronymum his verbis: *Cùm itaque tam latè Prophetarum & Prophetiæ, etiam apud Hebræos, patuerit appellatio, non admittendi sunt illi qui Septuaginta Interpretes Prophetas fuisse negant, utpote præcipuos populi Judaici Sacerdotes, & non præteritarum tantùm, sed & futurarum rerum interpretes.* Quasi verò illud in quæstionem venisset, utrùm Septuaginta Senibus Prophetarum nomen competeret, quatenus nomen illud *Propheta* idem sonat atque Interpres; cùm ipse tam multis probare conatus fuerit eos Prophetas fuisse, qui à Spiritu Sancto ac Prophetico afflati fuêre: imò existimat injurios illos esse Hieronymo, qui testimoniis ejus abutuntur ad evertendam LXX. Interpretum auctoritatem; cùm ille ætate provectior eorum errores non ipsis Interpretibus, qui afflatu Spiritûs Sancti sacros libros verterunt, sed librariis imputandos censuerit. Verùm supra fusiùs ostensum est quæ fuerit de præsenti negotio B. Hieronymi sententia, quæ Vossio latuit. Jam enim profectè erat ætatis, cùm Prophetarum libros Commentariis suis illustravit. At quàm sæpè in illis non modò librarios, sed ipsos Interpretes castiget, nemo nescit.

Voss. de Septuag. Interpr. cap. 26.

In Resp. ad Critic. Sacr.

Auctores Græcæ versionis.

Etsi suppositititium esse fœtum, quæ sub nomine Aristeæ circumfertur, historiam jam antea dixerim, lubens tamen agnosco hanc quæ LXX. Senibus tribuitur interpretationem sub Ptolemæo Philadelpho conditam fuisse à Judæis Alexandrinis, & ex Hebræo codice Chaldaicis sive Babylonicis literis exarato, quia non alias adhibuêre literas in describendis suis exemplaribus Judæi post suum è Babylone reditum, quàm Assyriacas. Sed versio altera Græca, quam ex eodem codice Hebræo Samariticis literis satis negligenter descripto factam putat Vossius ab homine neque Hebraicè forsan, neque Græcè docto, merum est figmentum ex Aristobulo desumptum; qui tamen de Samariticis literis, quibus hunc exaratum fuisse contendit Vossius, ne verbum quidem protulit, & de illis præter Vossium nemo cogitavit; adeo illud ab omni veri specie alienum vide-

videtur. Errant quidem, ut bene à Vossio animadversum fuit, qui putant Græcam versionem ex aliqua Paraphrasi Chaldaica aut Syriaca derivatam fuisse, cùm nulla tunc esset ejusmodi, & constet Philonem linguam Hebraicam & Chaldaicam pro eadem ubique accipere. Suspicari tamen licet, Græcos illos Interpretes sermonem Chaldaicum, qui Judæis plerisque post reditum è Babylone vernaculus fuerat, respexisse. Nulla quidem erat tunc temporis Chaldaica aut Syriaca Paraphrasis; tamen longè ante illa tempora Magistri, tam in Scholis, quàm in Synagogis, contextum Biblicum Chaldaicè non minùs quàm Hebraicè legebant, unde forsan contigit ut plures in Græca translatione voces magis ad genium linguæ Chaldaicæ aut Syriacę conversæ sint, quàm secundùm linguæ Hebraicæ proprietatem. Commentum quoque aliud finxit idem Vossius, qui asserit usque ad tempora Aquilæ nullam aliam lectam fuisse in Synagogis Judæorum Scripturam præter illam LXX. Interpretum, quia perierat intellectus linguę Hebrææ, quam ne ipsi quidem callerent Judæorum Rabbini: LXX. verò Interpretes, ut auctor est idem Vossius, vixerunt florente & superstite etiamnum Hebræâ linguâ. Verùm lingua Hebræa non magis florebat tempore LXX. Interpretum, si qui fuerint illius nominis, quàm tempore Aquilæ; quippe illa post deportatos Babylonem Judæos penitus abolita est, & post illorum inde reditum ipsis non fuit ampliùs domestica & familiaris. Remansit apud solos Magistros, qui eam publicè in Synagogis, seu Scholis, docuerint. Si verum est usque ad Aquilæ tempora non aliam in omnibus Judæorum Synagogis lectam fuisse Scripturam quàm Græcam LXX. Seniorum interpretationem, quâ ratione fieri potuit, ut Flavius Josephus Legem Moysis in Synagoga Hebraicè interpretatus sit, ut affirmat Vossius, qui similiter asserit eumdem Josephum, omnium sui seculi Hebræorum longè eruditissimum, historiam belli Judaici antequàm Græcè scriberet, linguâ Hebræâ edidisse? Tamen, si credamus Vossio, lingua Hebræa penitus deperdita fuerat: si res ita sit, cur hanc appellat linguam patriam Josephi? *Conveniet nulli qui secum dissidet ipse.* Manifestum est etiam ex ejusdem Josephi libris, Judæos Palæstinæ regionumque vicinarum tunc temporis linguam Hebræam excoluisse, quam usu, ut nostrâ etiam ætate, discerent absque ullis præceptionibus Grammaticis, quæ

Voss. de Sibyll. Oracul.

Vossii errores.

Voss. ad Castigat. Horn. cap. 2.

non à sexcentis tantùm, ut contendit Vossius, sed à nongentis & ampliùs annis inventæ sunt. Quo sensu idem Josephus ait, etiam referente Vossio, excelluisse se in disciplinis patriis præ cæteris Hebræis: Græcam verò linguam non nisi per Grammaticam didicisse. Patrias vocat disciplinas studium linguæ Hebrææ ac Legis Mosaicæ, quam Judæi Hierosolymitani in Synagogis Hebraicè legebant. Si tamen audiamus Vossium, qui sæpius à seipso dissentit, Christus & Apostoli in Judæa Græcè loquebantur. *Ubicunque*, inquit, *jam ab Alexandri Magni temporibus Græci fuêre domini, ibi etiam Græca prævaluit lingua, & absurdum est unam excipere Judæam:* & paulò post: *Ut in Ægypto, Asia & reliqua Syria, ita quoque in Judæa nulla præter Græcam audiebatur lingua, in urbibus præsertim oppidisque.* Imò præter linguam Græcam in Ægypto audiebatur lingua Coptica, in Syria Syriaca, & in Judæa Judaica, seu Chaldæo-Syriaca. Ex libro Euangeliorum discere potuit Vossius, sermonem Judæorum qui Hierosolyma incolebant, quæ inter urbes & oppida reponi debent, Chaldæum sive Syriacum fuisse, nec Christum Judæos urbis ullius Græcè, sed Syriacè alloquutum fuisse. Hanc etiam postea Judęi qui regionem istam incoluêre, licèt corruptam, retinuerunt, uti probari potest exemplo Talmudis, qui vulgò ab ipsis Hierosolymitanus appellatur, & lingua quâ conceptus est liber ille vocatur quoque Hierosolymitana. Judæis etiam Babylonensibus tunc temporis, ut & longè antea, domesticus fuit sermo Chaldaicus, qui suum pariter Talmudem habent eâdem linguâ conscriptum. Plerique etiam vetustiores libri Judęorum, exceptis paucissimis, non alio sermone conscripti sunt quàm Chaldæo impuro. Sed non est cur refellendis Vossii assertionibus, quę nihil omnino probabilitatis præ se ferunt, diutius immoremur; qualia sunt quæ affirmat de libris Deuteroseon, seu Traditionum Judaicarum, quas omnes ante Justiniani tempora sermone duntaxat Gręco concinnatas fuisse contendit, & de libro Misna qui è Græco in Hebræum sermonem circa illud tempus conversus fuerit: quia cautum fuerat edicto Justiniani, ne Judęi Deuteroses, seu librum Traditionum, in Synagogis legerent. *Illi*, inquit Vossius, *ut edictum eluderent, scriptum hoc in Hebræum converterunt sermonem.* Risum teneatis amici!

Verùm, si ad Justiniani edictum animum advertisset vir doctus, facilè deprehendisset non modò Hierosolymis, sed etiam in eorum Synagogis qui vulgò Helleniste appellantur, contextum Hebręum

Voss. de Sibyllin. Oracul.

Ibid.

Etiam in Synagogis Hellenistarum legebatur contextus Hebraus.

brȩum lectum fuisse. Id enim apertè significant verba illa Constitutionis Justiniani: *Didicimus quosdam solam habentes vocem Hebraeam, etiam ipsâ uti velle in sacrorum librorum lectione; alii verò Graecam quoque editionem assumendam esse arbitrantur, & jamdudum hac de re inter se disputant. Nos igitur his auditis, meliores judicavimus eos esse qui Graecam quoque versionem ad librorum sacrorum lectionem volunt assumere, & quamcunque linguam simpliciter quam locus commodiorem & aptiorem audientibus facit.* *Justin. Novell. vel Constit. 146.* Duplicis generis Judȩos supponit illa Justiniani Constitutio, quorum alii linguȩ Hebrææ penitus addicti Scripturam Sacram in Synagogis sermone duntaxat Hebrȩo legerent; alii verò, quia Grȩcas literas callebant, lectioni Hebraicȩ Grȩcam adjunxêre. Justiniani autem edicto permittitur ut non solùm Grȩcè, sed in alia qualibet lingua codex sacer legeretur. Judæi igitur omnes Helleniſtȩ, ut decreto Mosis obtemperarent, non alio unquam sermone quàm Hebræo Legis contextum in Synagogis suis legerunt, cui deinde lectioni alia mox succedebat sermone vernaculo. Neque his obstant priscorum Judæorum Patrumque testimonia, ex quibus manifestò liquet Judȩos Alexandrinos & alios omnes quibus lingua Grȩca fuit vernacula, Grȩcam LXX. Interpretum versionem in Synagogis suis legisse. Similiter constat etiam Hierosolymis quasdam extitisse Synagogas in quibus Lex Mosis & Prophetȩ Grȩco sermone legerentur. Sed hȩc & alia ejusdem rationis bene multa quæ huc congeri possent, probant tantùm lectioni contextûs Hebraici additam fuisse explicationis causâ Grȩcȩ interpretationis lectionem, sicut & nostrâ etiam ætate Judȩi ex antiquo more singulis Sabbatis legunt aliquid Scripturȩ Sacrȩ Hebraicè & Chaldaicè, quia scilicet antiquitus erant in Synagogis & Lectores & Interpretes, quod etiam Interpretis seu Prophetȩ munus à Synagoga ad primos Christianorum cœtus transiisse clarè demonstrant verba Apostoli in Epistola prima ad Corinthios. *Epist. 1. ad Corinth. Cap. 4.* Hinc forsan ortum est ut Grȩca illa LXX. interpretatio quibusdam in locis minùs accuratè verba contextûs Hebraici exprimat, quia scilicet illius concionatores Paraphrastarum potiùs quàm Interpretum, locis præsertim obscurioribus, munus obierunt. Sed ea omnia quæ pro tuenda LXX. Senum translatione & elevandis Judæorum exemplaribus contra omnem probabilitatis speciem fusiùs retulit Vossius, in præsentia refellere nec tempus est mihi, nec animus: longè satius erit Hieronymi versionem cum Græca locis aliquot conferre, ut inde patefiat quàm verè dixerit

Voss. Respons. ad Critic. dixerit Vossius Hieronymum nusquam rectè ab antiquis recessisse Interpretibus, eumque primum fuisse Christianorum qui Rabbinicam condiderit versionem, quique alios ad idem audendum signifer præcesserit. Longè aliud de versione Hieronymi, quæ nunc in Ecclesia Occidentali legitur, judicium tulit Augustinus Eugubinus his verbis: *Hanc si cum editione Septuaginta conferas, ausim hâc uti similitudine ut lucem ac tenebras à te collatas asseram. Id quod nos toto hoc opere ostendemus. Inveniemus certè hanc adeo fuisse Ecclesiis necessariam, ut, nisi hanc operam Divinus Hieronymus nobis præstitisset, versari adhuc nos in multis erroribus certè necesse fuerit.*

August. Eugub. Præf. in lib. de Vulg. Edit.

Confertur Græca versio cum Latina Hieronymi. Sumam itaque exempla collationis istius ex libris Prophetarum, quos ex Hebræo vertit Hieronymus, ac Commentariis suis illustravit, & utraque adhuc extat, cùm vetus tum recens, illorum translatio in ejusdem operibus. In omnibus autem Hieronymum vindicare etiam à levissimis erroribus, sicuti Septuaginta Interpretes vindicare enixè contendit Vossius, mihi minimè propositum est: quippe non pauca Hieronymo quantumlibet erudito exciderunt, dum Judæis ætatis suæ nimiùm addictus Græcos Interpretes severiùs interdum castigat. Sed doctissimum illum Patrem toties allucinatum fuisse quoties illos deserit, ut existimat Vossius, pernego. Capite secundo Commentariorum in Isajam ad hęc verba, *Quiescite ab homine cujus spiritus in naribus ejus, quia excelsus reputatus est ipse*, miratur Septuaginta Interpretes tam perspicuam, ut ipsi videtur, de Christo Prophetiam in Græcum noluisse vertere, damnatque Judæos, qui verbum quod in Hebręo est ambiguum, in deteriorem partem interpretati sint. Judæorum autem nomine ibi Aquilam notat alioque Interpretes qui diversam à Septuaginta Seniorum versione translationem de industria condiderant, ad quas Judæi, relictis vetustis Interpretibus, recurrebant. Jam utrùm hęc omissio librariis, an ipsis LXX. Senibus tribui debeat, nunc non inquiro, quam constat à Græcis exemplaribus ante Origenis tempora abfuisse, cùm verba illa sub asteriscis de editione Aquilæ addita fuerint: nec disputo similiter de bonitate versionis Hieronymi, utrùm præferenda sit Aquilæ translationi, quę cum hodiernis Judæorum codicibus hîc consentit; verùm inde conficio versionem Hieronymi malè à Vossio Rabbinicam vocari, quasi jam senex Hieronymus solis Judæis in con-

Isaj. 2: 22.

denda

denda sua contextûs Biblici interpretatione crediderit. Ejusdem Prophetæ Capite 5. ubi juxta vocum Hebraicarum proprietatem vertit Hieronymus, *Et pascentur agni juxta ordinem suum*, LXX. Interpretes arguit, quòd nescio quid volentes, uti loquitur, transtulerint, *Pascentur direpti quasi tauri*, pro *agnis tauros* intelligentes, & pro *advenis* interpretantes *agnos*. Hebraica tamen hoc loco implicata non sunt, & sensus apertus. Reprehendit etiam Græcos Interpretes Hieronymus, quòd pro his verbis, *Quis ibit nobis*, ut habent omnes Interpretes, quia in Hebræo legitur *lanu*, ipsi posuerint, *Quis ibit ad populum istum*, quod penitus, inquit, in Hebræo non habetur. Sed forsan pro *lanu* legerunt *laam*, vel eadem verba quæ mox sequuntur, majoris explicationis causâ hîc addita sunt; quia pronomen *nobis* nihil ibi, ut & alibi passim, significat.

Isaj. 5. 17.

Isj. 6:8.

Verùm longè magis animadversione digna sunt quæ refert idem Hieronymus ad hæc verba quæ secundùm codicis sui Hebræi lectionem transtulerat, *Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava:* cùm longè benignior videatur Græca interpretatio in qua legitur, *Incrassatum est cor populi hujus*. Sed nôrunt linguæ Hebrææ periti, hanc diversitatem ex varia punctorum vocalium notatione ortam fuisse: sequuti sunt LXX. ætatis suæ lectionem, quæ diversa erat ab ea quæ Hieronymi ætate obtinebat; & hæc eadem in exemplari Masorethico repręsentatur. Utraque lectio traditione confirmatur; sed Gręca videtur in eo Hieronymianæ præferenda, quòd illam sequutus fuerit Apostolus in Actibus Apostolorum: ad hæc tamen respondet Hieronymus, lectionem hanc tribuendam potiùs esse Euangelistę Lucæ quàm Apostolo. *Euangelistam Lucam*, inquit, *tradunt veteres Ecclesiæ tractatores medicinæ artis fuisse scientissimum, & magis Græcas literas scîsse quàm Hebræas. Unde & sermo ejus, tam in Euangelio quàm in Actibus Apostolorum, comptior est & sæcularem redolet eloquentiam, magisque testimoniis Græcis utitur quàm Hebræis.* Itaque in ea videtur fuisse sententia Hieronymus, ut crediderit B. Paulum cum Hebræis disputantem non juxta LXX. loquutum fuisse, sed juxta Hebraicum; Lucam verò Euangelistam, qui Gręcas literas apprimè callebat, legebatque Græcos codices, Græcis testimoniis usum fuisse. Similia fere his affert Hieronymus Quęstionibus Hebraicis in Genesim, ubi expendens diversitatem quæ Græca inter & Hebręa exemplaria intererat in recensendis filiis Jacobi qui cum ipso Ægyptum ingressi sunt, quęrensque

Hieron. Comment. in Cap. 6. Isaj.

ibidem cur LXX. potiùs versioni Stephanus in Actibus Apostolorum adhęserit, quàm Hebræo contextui, ita loquitur: *Non debuit Sanctus Lucas, qui ipsius historiæ Scriptor est, in Gentes Actuum Apostolorum volumen emittens, contrarium aliquid scribere adversus eam Scripturam quæ jam fuerat Gentibus divulgata.* Et mox: *Hoc autem generaliter observandum, quòd ubicunque Sancti Apostoli aut Apostolici viri loquuntur ad populos, his plerumque testimoniis abutuntur, quæ jam fuerant in Gentibus divulgata.* Nimirum non ideo Apostoli versionem Græcam in suis libris adhibuêre, quòd auctores illius Divino seu Prophetico spiritu afflati fuerint, vel quòd non alia Scriptura in Judæorum Synagogis legeretur quàm Græca illa, ut perperam existimavit Vossius; sed quia vulgò erat recepta, &, ut auctor est B. Hieronymus, *dum loquuti sunt ad populos Apostoli, iis usi sunt testimoniis quæ jam fuerant in Gentibus divulgata*; secus verò dum homines gentis suæ, qui callebant linguam Hebraicam, alloquuti sunt. Sed *mentitum fuisse Lucam necesse est*, inquit Vossius, *si alios Stephanus in concione sua, quàm ille posuit, sensus expresserit.* Quasi verò illum mentiri necesse sit qui eadem diverso tantùm sermone referat, paucis quę nullius erant momenti immutatis. Neque mentem Scriptoris Criticæ Sacræ assequutus fuisse videtur vir doctus, cùm de eo ita loquitur, quasi crediderit Stephanum non Græco aut plebeio Syriaco, sed Hebraico sermone ultimam suam concionem absolvisse. *An plebs*, inquit Vossius, *tempore Apostolorum gnara veteris linguæ Hebrææ? An mentitus Euangelista? Quid demum integrum in Euangeliis supererit, si istiusmodi admittamus commenta?* Sed potiùs monstra sibi fingit quæ postea debellet. Syriacè concionatus est Stephanus, quia sermo Syriacus tunc Judęis Hierosolymitanis erat vernaculus: at quæ profert Veteris Testamenti testimonia ea non alio sermone proferre potuit quàm Hebraico, quia Judæi Hierosolymitani Legem Mosis Hebraicè in Synagogis suis legebant, non verò Græcè; & si qua subjungebatur interpretatio, illa Syriaco pariter sermone qui plebeius erat, ut hîc liberè fatetur Vossius, non verò Græco, quo in Helleniſtarum duntaxat Synagogis ac Scholis utebantur.

Hieron. Quæst. Hebr. in Genes.

Cur Græca versione usi fuerint Apostoli.

Voss. Respons. ad Critic. Sacr.

Syriacè, non verò Græcè, concionatus est B. Stephanus.

In hoc tamen corrigendum esse Hieronymum non diffiteor, quòd dicat Matthæum & Joannem de Hebraico Veteris Testamenti testimonia sumpsisse, oblitus regulæ illius quam Traditionibus Hebraicis in Genesim produxerat, nimirum, Apostolos & viros Apostolicos non aliam ob causam Græcis exemplaribus usos fuisse, quàm quia

Hieron. Comm. in Cap. 6. Isaj. Castigatur B. Hieron.

jam

jam hæc in Gentibus divulgata fuerant: Hebraica verò in Synagogis duntaxat Judæorum asservabantur, & inter hos paucissimi reperiebantur qui ea intelligerent: contrà autem lingua Græca tunc plerisque Gentibus erat vernacula. Observandum autem est Apostolos, etsi Græcis codicibus adhæserint, non ita tamen ab iis dependisse, quin haud infrequenter ad sensum potiùs quàm ad verba attenderint. Quare Hieronymus explicans hunc locum Michææ Prophetæ, *Et tu Bethlehem Ephratha*, ista annotat: *Sunt qui asserant in omnibus penè testimoniis quæ de Veteri Testamento sumuntur istiusmodi esse errorem, ut aut ordo mutetur, aut verba, & interdum quoque sensus ipse diversus sit, vel Apostolis vel Euangelistis non ex libro carpentibus testimonia, sed memoriæ credentibus, quæ nonnunquam fallitur.* Hæc quidem paulò duriora videntur, nec ea protuli ut iis fidem adhibeat Vossius. Interea vix fidem suam abnuere poterit Joanni Calvino, qui eumdem Michææ locum illustrans, hæc animadvertit: *Quid opus est torquere Prophetæ verba, cùm Euangelistæ propositum non fuerit referre quod apud Prophetam legitur, sed notare locum duntaxat?* Similiter idem Hieronymus non ex aliorum, sed ex sua loquutus sententia, de hisce omnibus testimoniis, quæ ex Veteri Testamento in Novum translata sunt, hæc in genere observat. *In multis testimoniis quæ Euangelistæ vel Apostoli de libris veteribus assumpserunt, curiosiùs attendendum est, non eos verborum ordinem sequutos esse, sed sensum.* Sed nunc ad id quod est nostri instituti revertamur.

Mich. 5: 2.

Calvin. Comm. in Cap. 5. *Mich.*

Hieron. Comm. in Cap. 7. *Isaj.*

Prima verba Capitis noni ejusdem Prophetæ vix intelligi possunt in Græca versione, cùm omnia aperta sint in translatione Hieronymi. Utramque duabus columnis distinctam hâc ratione produxit Hieronymus: *Primo tempore alleviata est terra Zabulon & terra Naphthalim, &c.* En Hieronymiana translatio. Græca verò ita habet: *Hoc primùm bibe, velociter fac regio Zabulon & terra Napthalim.* Aliunde assumptam fuisse crediderim dictionem *bibe*, quæ mutat sensum. Paulò post eodem Capite notat Hieronymus LXX. Interpretes, quòd pro verbis istis, *Vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri seculi, princeps pacis*, illi majestate nominum perterriti de puero non ausi sint dicere, quòd Deus sit appellandus, sed pro his sex nominibus posuerint quod in Hebraico non habetur. Iterum manifesti erroris Græcos Interpretes arguit Hieronymus, quòd ad lectionem suorum codicum minùs attenti, pro *verbum* transtulerint *mortem*, dicendo, *Mortem misit Dominus in Jacob*, cùm

Isaj. 9.

dicendum esset, *Verbum misit*, &c. ut Hieronymus interpretatus est, qui statim addidit erroris illius originem his verbis: *Apud Hebræos* דבר *quod per tres literas scribitur consonantes pro locorum qualitate, si legatur* dabar, *verbum significat; si* deber, *mortem & pestilentiam.*

Isaj. 10: 5. Non longè ab initio Capitis 10. ejusdem Prophetæ ad hæc verba, *Væ Assur*, eosdem Interpretes accusat Hieronymus, quòd Hebraica minùs accuratè expresserint. Iterum sub finem ejusdem Capitis

Ibid. vers. 18. ad verba ista, *Veniet in Aiath, &c.* quantum illi ab Hebræo discrepent fusè ostendit, simulque eos falsitatis arguit quòd verterint, *Rama civitatem Saul: quod perspicuè falsum est*, inquit, *civitas enim Saul appellatur Gabaa, ut in Hebraico continetur.* Præterea Hieronymus longè diversa sentit de lingua LXX. Interpretum, quàm Vossius, qui existimat in ea nihil esse nisi Græcum, frustraque eam appellari linguam natam in Synagoga. Ita enim loquitur libro sexto Commentariorum, *Pro advena, id est,* προσηλύτης, *LXX.* γηώραν *interpretati sunt*

Isaj. 14: 1. *qui Hebraicè* ger *dicitur----ergo* georas *non est Græcum verbum, sed Hebraicum Græcâ consuetudine declinatum; licet quidam, Hebræi sermonis*

De ling. LXX. Interpretum Vossio contrarius est Hieronymus. *ignarus, Græcam in eo etymologiam exprimere conetur, ab eo quod terrenæ rei curam habeat,* γῆ *enim, inquit, terra appellatur,* & ὤρα, φροντὶς, *id est, solicitudo.* Quantum à germano Scripturę sensu deflexerint Græci Interpretes Capite 24. ejusdem Prophetę, ubi in Latina

Isaj. 24: 23. editione legimus, *Erubescet luna, & confundetur sol*, rectè animadvertit Hieronymus his verbis: *Pro eo quod nos interpretati sumus, Et erubescet luna, & confundetur sol, LXX. transtulerunt, Liquefieri laterem, & cadere murum:* & mox erroris causam detegit, quia scilicet pro Hebraico *levana*, quod *lunam* significat, legerunt *lebena*; & pro *hamma*, id est, *calore*, quo *sol* denotatur, legerunt etiam *homa*, quod *murum* significat. Sed frustra his diutius detineor, quippe ab omnibus legi possunt Hieronymi Commentaria in Isajam, ubi passim Græcos Interpretes erroris arguit, quòd ambiguitate vocum, vel aliâ ratione decepti fuerint: aliquando tamen illis parcit, sicuti Capite 30. postquam eorum in interpretando inconstantiam damnavit, mox veluti seipsum castigans, hęc subjicit: *Datur mihi suspicio non eos errâsse à principio, sed paulatim Scriptorum vitio depravatos.*

Hieron. Comm. in Cap. 30. Isaj. Et Capite 40. ubi nonnulla à Græcis Interpretibus omissa annotavit,

Isaj. 40. statim addit quasi subdubitans, *vel à LXX. prætermissum, vel paulatim Scriptoris vitio prætermissum.* Similiter communem Græcorum exemplarium editionem ad Hebræos codices interdum castigat, ne

error

error in Interpretes rejiciatur, quo modo ad hæc verba Capitis 44. *Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro*, rectè animadvertit non solùm Latinorum, sed & Græcorum plurimos errare, existimantium scriptum esse, *Sic dicit Dominus Christo meo Domino*: *Neque enim*, inquit, Κυρίῳ, *quod Dominum sonat, sed* Κύρῳ *dicitur, qui Hebraicè appellatur* כורש. *Isaj. 45.*

Eadem videre est in Hieronymi Commentariis in Hieremiam, Ezechielem & alios Prophetas. Ita fere ubique Commentario in Hieremiam notat quæ à LXX. Interpretibus prætermissa sunt, aut saltem non ampliùs in Græcis illorum exemplaribus apparent. Modò enim ipsos Interpretes, modò librarios accusat. Commentario pariter in Ezechielem, ubi Græcorum codicum omissionem animadvertit, statim hęc adjicit: *Melius est in divinis libris transferre quod dictum est, licèt non intelligas quare dictum sit, quàm auferre quod nescias.* Capite tamen 5. ejusdem Prophetæ vix audet Græcos Interpretes accusare, ubi ait: *Multo melius fuerit transferre quod scriptum est, quàm rei malè translatæ patrocinium quærere. Nec hoc dicimus ab illis factum, quibus vetustas auctoritatem dedit; sed per multa sæcula Scriptorum atque Lectorum vitio depravatum, quanquam & Aristeas & Josephus & omnis Schola Judæorum quinque libros tantùm Moysis à LXX. translatos asserant.* Neque hoc solùm loco Hieronymus, sed & aliis in locis, negare videtur cum priscis Judæis aliud quidpiam Scripturæ Sacræ à LXX. Senibus translatum fuisse præter quinque libros Moysis; sicuti ad Caput 5. Michææ, ubi hæc habet: *Interpretatio LXX. (si tamen est LXX. Josephus enim scribit, & Hebræi tradunt, quinque tantum libros Legis Moysis ab eis translatos, & Ptolemæo Regi contraditos) tantum discordat in præsenti loco ab Hebraica veritate, ut nec Capita possimus ex æquo ponere, nec eorum simul sententias explicare.* Verùm longè aliud sentit Vossius, qui non solùm rei malè translatæ ubique patrocinium quęrit, ut verbis Hieronymi utar, sed palàm testatur se non dubitare Propheticos libros à LXX. Interpretibus Grecè fuisse redditos, licèt olim dubitaverit. Et quod fidem omnem superare videtur, si Vossio credamus, Greci Interpretes in libris obscurioribus, puta Jobi ac Proverbiorum, magis accuratos se ostendunt quàm recentiores Scripturæ Interpretes. Sed neminem fore arbitror linguæ utriusque peritum, qui hac in parte illi assentiatur, adeo inepta est multis in locis istorum librorum Greca illa translatio. Non is tamen sum qui ab Hieronymo ita dependere velim, ut etiam illius errores, qui plurimi sanè sunt, approbem. Sic, ne longiùs abeam,

Hieron. Comm. in Ezech. Cap. 1. Cap. 5.

Idem Comm. in Cap. 5. Mich. vers. 9.

Voss. Respons. ad Critic.

Vossii errores.

Græcos Interpretes aliquando malè castigat Hieronymus.

abeam, Capite 27. Commentariorum in Ezechielem LXX. arguit quòd *pro filii Dedan, filios Rhodiorum* interpretati sint, decepti fortè primæ literæ similitudine, ut pro *Dadan* legerent *Radan:* sed errorem hunc in Scribas potiùs quàm in Interpretes rejiciendum esse demonstrant ea quæ paulò post eodem Capite sequuntur, ubi in LXX. non secus ac in Hieronymi translatione legitur *Dedan*, sive *Dadan.* Iterum in Caput 33. ejusdem Prophetæ, ubi de *Gog* fit mentio, observat Græcos Interpretes libri Numerorum Capite 24. pro *Agag* quod legitur in Hebræo, reposuisse *Gog:* sed manifestus est librarii error. Sed ut innumera ejusmodi taceam, longè meliùs idem Hieronymus Capite 40. eorumdem Commentariorum hæc observat: *Omnia prope verba Hebraica & nomina quæ in Græca & Latina translatione sunt posita, nimiâ vetustate corrupta, Scriptorumque vitio depravata; & dùm de inemendatis scribuntur inemendatiora, de verbis Hebraicis facta esse Sarmatica, imò nullius gentis, dum & Hebræa esse desierint, & aliena esse non cœperint.* Apprime igitur distinguenda sunt & secundùm Criticæ regulas illa omnia quæ ut minùs bene à LXX. Senibus translata arguit Hieronymus: ut enim plurimos eorum errores rectè annotavit, ita & in iisdem castigat non pauca quæ minimè castiganda erant. Nec mirum, cùm ipsemet Hieronymus testetur se Explanationes suas vix implere potuisse, quia nulla hora erat, nullum momentum in quo non fratrum occurreret turbis, seque jam senem præter dictandi difficultatem Hebræorum volumina ob literarum parvitatem haud relegere potuisse. Similiter observat se nonnulla celeritate dictandi, dum parùm attendit, non bene vertisse. Itaque nec Hieronymus, nec LXX. Senes Prophetæ fuerunt, sed Interpretes, quibus multa, quia homines erant, excidisse necesse est.

Hieron. Comm. in Cap. 40. Ezech.

Idem Præf. in lib. 7. Comm. in Ezech.

Idem Comm. in Cap. 42.

EX-

EXCERPTUM III.

Isaaci Vossii de Hexaplorum Origenis dispositione sententia refellitur.

Isaacus Vossius Origenem in Hexaplis suis compingendis aliam instituisse viam ac vulgò existimant, se aliquando demonstraturum pollicetur: quare respondens Scriptori nuperę Criticæ, qui novam hanc viam ab illo quæsierat, contendit Tetrapla & Hexapla Origenis ita dicta non fuisse à quatuor aut sex columellis, sed Tetrapla dicta esse, quòd quadruplicem versionem; Hexapla verò, quòd sex continerent versiones; errare de Octaplis Scriptorem Criticæ, dum errantem sequitur Epiphanium, quia nulla unquam Octapla scripsit Origenes; codicem Hebraicum non venisse in censum versionum, quia priores columnas vocat Origenes τὸ Ἑβραϊκὸν ἔδαφος, velut fundamentum omnium versionum. In Tetraplis, addit Vossius, sex erant columellæ, in Pentateucho etiam septem, utpote cui Samariticus adderetur codex, literis Prototypis Hebræorum expressus, ut ab Eusebio & Africano appellantur. Quia tamen in solo id factum Pentateucho, ideo Tetrapla sex tantùm columellas vulgò continere dicebantur, pari ratione atque in Hexaplis; quamvis in Psalmis septima quoque accederet versio, Hexaplorum tamen remansit appellatio, quia septima illa versio in aliis deficeret libris. Hactenus Vossius, qui non alios opinionis istius, quę nova est illa via quam se demonstraturum pollicitus fuerat, auctores laudat quàm seipsum; & ut majorem illius dictis fidem adhibeamus, hęc demum subjicit: *Cùm nulla supersint, aut saltem nulla Hexaplorum aut Tetraplorum hactenus reperta sint exemplaria, velle de his nimiùm copiosè contendere, id demum fuerit hominis nimiùm intemperanter otio suo abutentis.* Hâc ratione promissa solvit Vossius, qui tam confidenter pollicitus fuerat, se novam & hactenus inauditam Hexaplorum Origenis dispositionem demonstraturum esse. Sed cùm nulla illorum exemplaria unquam viderit, priscos Ecclesiæ Patres atque in primis Epiphanium, qui illa tanquam oculati testes describunt, consulere liceat.

Voss. de Septuag. Interpr. cap. 29.

Idem Resp. ad Nuper. Critic.

Immensum Origenis opus expenditur.

Notantur Vossii errores circa Origenis Tetrapla & Hexapla.

Dionysius Petavius, vir è Societate Jesu doctissimus, & in Græcis

cis Hebræisque libris non minùs quàm Vossius exercitatus, asserit neminem Epiphanio accuratiùs tradidisse quænam fuerint Origenis Tetrapla, Hexapla & Octapla; idemque Petavius miratur plerosque, qui sua ex Epiphanio hauserunt, in tam aperto ejus loco allucinatos fuisse; ac in primis notat Marianum Victorinum Scholiis ad lib. II. Apolog. adversus Ruffinum, ubi redarguit Erasmum ex Epiphanii auctoritate, ut ait, sed malè. Singularum itaque editionum ordo ex Epiphanio hoc diagrammate proponitur.

TETRAPLA.

| *Aquila.* | *Symmachus.* | *Septuaginta.* | *Theodotio.* |

HEXAPLA.

| *Hebraica literis Hebraicis.* | *Hebraica Græcis literis.* | *Aquila.* |

| *Symmachus.* | *Septuaginta.* | *Theodotio.* |

OCTAPLA.

| *Hebraica literis Hebraicis.* | *Hebraica literis Græcis.* | *Aquila.* | *Symmachus.* |

| *Septuaginta.* | *Theodotio.* | *Quinta Editio.* | *Sexta Editio.* |

Verùm, inquit Vossius, Tetrapla & Hexapla non à quatuor & sex columellis dicta sunt, sed à quadruplici versione, & quòd sex continerent versiones: qua in re profectò gravissimè allucinatur vir doctus. Nam Tetraplorum, Hexaplorum & Octaplorum nomen derivatum fuit à numero editionum, & quælibet editio columnellam unam, sive paginam, pro antiqua describendorum voluminum consuetudine occupabat, ut apertè evincunt

evincunt verba illa Ruffini: *Voluit Origenes nostris ostendere qualis apud Judæos Scripturarum lectio teneretur, & in propriis paginis vel columnellis editiones earum singulas quasque descripsit.* Eadem igitur omnino erat in Hexaplis Origenis columnellarum atque editionum ratio. Nulliusque prorsus momenti sunt quæ ducit Vossius ex voce ἑβδόμη, quo nomine insignivit Origenes priores columnellas, nimirum τὸ Ἑβραϊκὸν ἑβδόμη velut fundamentum omnium versionum. Quid, quæso, aliud inde colligi potest, quàm Origenem voluisse distinguere hoc nomine contextum Hebraicum à versionibus quæ ex eo, tanquam fundamento, deductæ fuerant? Quo similiter modo Hieronymus eumdem contextum veritatem Hebraicam appellat. Minùsne ideo constat illum contextum in Hexaplis Hebraicis & Græcis literis descriptum duas columnellas occupâsse, à quibus æquè ac à versionibus, quarum quælibet suâ quoque columnellâ exarata erat, Hexaplorum nomen derivatum fuerit? Præterea ejusdem Vossii commentum est quod fingit de codice Samaritano prototypis literis Hebræorum expresso, qui Pentateucho additus fuerit. Illud enim priscis Ecclesiæ Patribus, Epiphanio, Hieronymo, Ruffino, etiam Eusebio & Africano, quos in suam sententiam pertrahere conatur, prorsus fuit incognitum: neque unquam pariter certissimis rationibus demonstrabit Vossius, quod tam confidenter asseverat de codice Samaritano, qui penès Origenem fuerit, frustraque ejus rei testes profert Eusebium, Africanum, Syncellum, imò & ipsummet Origenem, qui de hoc exemplari Samaritano prototypis, ut loquitur, literis exarato ne quidem per somnium unquam cogitârunt. Habuêre Samaritani Græcam Pentateuchi versionem, quæ Patribus fuit probè cognita, & ex ea sumpsêre Africanus, Eusebius & Syncellus codicis Samaritani ab Hebraico diversas lectiones quas libris suis inseruerunt. Linguæ Hebraicæ operam dedit Origenes præeunte sibi Huillo Judęorum, non verò Samaritanorum, Patriarchâ: & idcirco non Hebræis Samaritanorum, sed Judęorum exemplaribus usus fuit. Quo sensu intelligenda sunt verba illa Eusebii: *Tantam curam ac diligentiam in divinorum librorum accuratâ inquisitione adhibebat Origenes, ut Hebraicam etiam linguam didicerit, & prototypas, quæ apud Judæos erant Hebraicis literis scriptas, sibi comparaverit.* Sed Eusebii verba in alium planè sensum avertit Vossius, & ut ea sententiæ suæ facilius accommodaret, lectionem jam vulgatam sine ope ullius

Ruffin. Invect.

Euseb. lib. 6. Histor.

Voss. in Resp. ad Object. Critic.

ullius codicis MS. in aliam mutare non dubitavit. Sic enim legit: Ἵνα τε πρὸς τοῖς Ἑβραίοις ἐμφερομένας πρωτοτύποις αὐτοῖς Ἑβραίων στοιχείοις γραφὰς κτῆμα ἴδιον ποιήσαιτο, cùm vulgò legatur πρωτοτύπους, non verò πρωτοτύποις, & sic vertit: *Ut Hebraicam etiam linguam didicerit, ac illas quoque sibi comparaverit Scripturas quæ prototypis Hebræorum literis exarata esse dicuntur.* Apud Eusebium, inquit Vossius, prototypi characteres non sunt alii quàm Samaritici, & manifestè sibi adversaretur Eusebius, si de vulgaribus Judæorum intellexisset elementis, cùm contrarium in suo scripserit Chronico. Miror sanè Vossii ingenium, qui lectoribus suis fucum faciat in re tam aperta, quæque omnibus qui linguam Græcam vix à limine salutaverint, est obvia. Teruntur omnium manibus libri Eusebii, cui non aliud propositum fuit loco jàm citato ostendere, quàm studium indefessum Origenis laboremque ejus improbum in evolvendis Scripturę Sacræ libris, & perscrutando illorum sensu; qui, ut id faciliùs obtineret, linguam Hebræam à Judæis Magistris didicit, eorum libros characteribus Hebraicis exaratos evolvit, eosdemque cum Græcis LXX. Senum, Aquilæ, Symmachi & aliorum versionibus contulit. Utrùm πρωτοτύπους, an πρωτοτύποις legendum sit in præsentia non disputo, quia servatâ etiam lectione Vossii, manifestum erit non aliud intelligendum esse per prototypas literas quàm characteres Hebræos. Contextus scilicet Hebræus in Origenis Hexaplis descriptus erat literis Hebraicis & Græcis, ut jam observatum fuit. Quare Eusebius cogitans de exemplaribus Hebraicis, quę tunc à plerisque Hebraicè nescientibus legebantur, quia illorum characteres Græci erant, asserit Origenem sibi comparâsse exemplar Hebræum characteribus etiam Hebræis exaratum: quî enim aliter fieri potuisset, cùm Judæos linguæ Hebraicę Magistros habuerit, non Samaritanos? Non incognita quidem fuisse Eusebio, Origeni & aliis Patribus Pentateuchi Samaritani etiam diversis à Judaicis characteribus descripta exemplaria lubens agnosco; sed quia plerique illorum non callebant linguam Hebraicam, ubi de codice Samaritico loquuntur, haud dubiè intelligunt versionem Græcam Pentateuchi Samaritani, quæ tunc vulgata erat. Neque Eusebii verba in Chronico ullatenus Vossio favent, ubi meminit Eusebius trium Scripturę Sacræ codicum à quibus sua hauserit; nimirum, πρὸς τῶν ἑρμηνευόντων, *à Septuaginta Interpretibus*; πρὸς δὲ πρὸς Ἰουδαίοις Ἑβραϊκῶς,

Ἑβραϊκοῦ, *ab Hebraico exemplari Judæorum*; παρὰ τοῦ παρὰ Σαμαρείταις Ἑβραϊκοῦ, *ab Hebraico exemplari Samaritanorum.* Ibi enim nomine exemplaris Hebræi Samaritici necesse est intelligi Græcam illius versionem, non secus ac nomine Hebraici Judæorum exemplaris plerique Patres qui Hebraicè nesciebant, Aquilæ versionem, quæ ex Hebræo ad verbum sumpta fuerat, intellexêre. Noverat igitur Eusebius Samaritanos non secus ac Judæos Pentateuchi Hebræi exemplar penès se retinere; sed quia linguæ Hebrææ imperitus erat, Græcam illius versionem à Samaritanis cusam, quæque tunc ab iisdem legebatur, consuluit. Sicut antea Justinus Martyr disputans contra Tryphonem Judæum, Græcam Aquilæ interpretationem donat nomine contextûs Hebræi; quia Judæi plerique illius temporis eâ utebantur: sed ad hęc & alia ejusdem rationis bene multa animum non advertit Vossius. Nunc tempus est ut ad id unde diverti redeam.

In Origenis Hexaplis, ut ex allato supra diagrammate cognoscere est, primum locum obtinebat contextus Hebræus literis Hebraicis descriptus, secundum idem contextus Græcis characteribus exaratus; quia scilicet ex illo, tanquam ex prima origine, versiones omnes Scripturæ derivatæ fuerant: deinde sequebatur interpretatio Aquilę, qui Hebraica ad amussim & longè meliùs quàm cæteri Interpretes referebat: Septuaginta verò medium locum, non verò primum, ut quibusdam visum est, occupaverunt, tanquam cæterarum omnium regula ad quam illæ expendi deberent. Symmachi præterea & Theodotionis translationes illam proximè & ex utraque parte comitabantur, quòd ei haud dissimiles essent, eademque in his tribus observaretur interpretandi methodus. *Dispositio Hexaplorum.*

Jam quia ingens illud volumen tot editiones repræsentans quasi sub una linea carè constabat, & à paucis poterat comparari, ita ut conquestus fuerit Hieronymus, chartas Alexandrinas marsupium suum evacuâsse, cogitavit Origenes, vir acutissimi ingenii & scientiæ inexhaustæ, de ratione aliqua quâ omnes hasce editiones veluti sub unam repræsentaret. Et quia non alia tunc temporis in omnibus Ecclesiis Scriptura recipiebatur quàm LXX. Interpretum translatio, hanc seorsim edidit cum notis quibusdam, quarum beneficio aliæ omnes exhibebantur. Ita quæ in contextu Hebraico deesse videbantur, supplevit ex Theodotionis *Hexaplæ in compendium redacta.*

nis versione, notâ additâ quæ à Grammaticis vocatur *asteriscus*; quia scilicet illa verba contextûs nimis curta ac velut abbreviata illustrabat: si quid verò in contextu Hebræo abundare videretur atque esse supervacaneum, locis illis luxuriantibus aliam notam adjecit à Criticis dictam *obelus*, sive *veru*; quasi jugulandum illud esset quod in Græca LXX. editione veluti luxuriabat. Ad id in primis attenderat Origenes in operis illius œconomia, teste Epiphanio, ut Judæi faciliùs à Christianis inter disputandum revincerentur: quippe illi passim objiciebant aliter esse in exemplari Hebræo quàm in Græca LXX. versione. Idem quoque testantur Hieronymus & Ruffinus, etsi Hieronymus interdum ejusmodi notarum usum paulò aliter exponat. Alias etiam notas, putà lemniscos, huic operi adjecerat Origenes, de quorum usu inter se non consentiunt ætatis nostræ Critici, & quod à paucis adhuc explicatum est, illa editio Græca LXX. Interpretum cum omnibus hisce notis, tam illustrantibus quàm jugulantibus, etiam in Hexaplis Origenis unà cum Aquilæ, Symmachi & cæterorum Interpretum translationibus reperiebatur, uti probare videntur verba illa Ruffini: *Voluit Origenes nostris ostendere, qualis apud Judæos Scripturarum lectio teneretur, & in propriis paginis, sive columnellis, editiones eorum singulas quasque descripsit, & ea quæ apud illos sunt addita, vel decerpta, certis quibusque signis additis ad versiculorum capita designavit, & in alieno non suo opere suas tantummodò notas fixit, ut sciremus non quid nobis, sed quid Judæis adversum nos certantibus aut deesse, aut abundare videretur.*

Epiphan. de pond. & mens.

Idem præterea Origenes ingens illud Hexaplorum opus Scholiis diversi generis, quæ ad oram codicis retulerat, illustravit, ut editioni illi LXX. Interpretum, quæ media inter alias omnes apparebat, lucis aliquid afferret. Primò enim quid esset discriminis inter antiquam seu vulgatam LXX. Interpretum editionem, & novam editionem suam beneficio notæ illius ō, id est, LXX. statim deprehendi poterat. Illa quippe nota ō communem lectionem exhibebat. Deinde in iisdem Scholiis Aquilæ, Symmachi ac Theodotionis diversæ interpretationes quæque per suam literam designabantur. Ita litera Α'. denotabat Aquilam, Σ'. Symmachum, & Θ'. Theodotionem; Quinta quoque editio per Ε'. & Sexta per Ϛ'. notabantur. Notas etiam ad oram sui codicis retulerat Origenes, exponendis ad literam, ut vocant, Scripturæ Sacræ verbis, quę Origenis notæ inter ejus opera sub nomine Scholiorum indicantur. Si etiam

etiam Isaacum Vossium audiamus, non improbabile est Origenem variantes codicis Samaritici lectiones in Hexaplis suis annotâsse. *Si quis malit*, inquit, *credere Origenem non integrum codicem Samaritanum Hexaplis & Tetraplis suis inseruisse, sed tantùm variantes annotâsse lectiones, non multùm adversabor.* Ita minùs constans Vossius in sententia sua, modò ait, modò negat; & cùm antea tam confidenter asseverâsset exemplar Pentateuchi Samaritani in Hexaplis etiam literis Samaritics descriptum extitisse, nunc dubitans nihil in re parùm sibi comperta audet pronunciare. Verùm uti nullatenus probabile est exemplar Samaritanum, quod idem prorsus erat atque Judaicum, in Hexaplis extitisse; ita verisimile est diversas exemplaris Samaritici à Judaico lectiones Origenem inter Scholia sua retulisse, quas non ex codice Samaritano prototypis illis literis descripto, uti commentus est Vossius, sed ex Græca Pentateuchi Samaritani versione à Samaritanis ipsis accuratâ descripserat. *Voss. Responsion. ad Critic.*

Hæc est Origenis Hexaplorum œconomia ac dispositio, quam viri etiam eruditissimi comprehendere minimè potuerunt, dum non assequuntur quomodo in uno eodemque opere Græcæ Aquilæ, Symmachi ac Theodotionis interpretationes bis repertæ fuerint; nimirum integræ in operis contextu, & ex parte in Scholiis quæ erant ad marginem. Sed Origenes, qui omnibus prodesse voluit, immensum illud opus Hexaplorum beneficio notarum & Scholiorum in compendium redegit, ut illi qui Hexapla integra non possent comparare, saltem illorum summam etiam ex ipsismet Hexaplis describerent. Et eâdem arte κοινὴν illam, seu communem, LXX. editionem simul cum nova sua editione, quam integram, quia castigatiorem illam arbitratus est, Hexaplis inseruit, in uno eodemque opere repræsentavit, adjectis scilicet ad oram codicis κοινῆς illius, seu vulgatæ diversis lectionibus sub nota ō. Quapropter in eo graviter allucinantur nonnulli, dum istâ Hexaplorum dispositione non intellectâ, contendunt in illis duplicem LXX. Interpretum editionem, tam vulgatam scilicet quàm puram illam, cujus ita frequenter meminerunt Origenes & Hieronymus, sub duplici columnella fuisse collocatam, & hâc ratione Hexapla non à diversis columnellis, sed à versionibus nomen suum ducere. Sed hęc apertè falsa sunt, nec aliunde proficiscuntur, quàm ex ignoratione dispositionis Hexaplorum, ad quorum marginem vetus LXX. Senum lectio relata fuerat: & hoc modo utraque LXX. Interpretum editio in *Dispositio Hexaplorum iterum illustratur.*

Hexaplis apparebat. Jam quia pauci immensa illa Hexaplorum volumina, quæ Hieronymi marsupium evacuârant, integra poterant comparare, plerique editionem illam LXX. ab Origene interpolatam cum asteriscis & obelis aliisque notis ex ipsismet Hexaplis desumpserunt; unde postea nata est maxima Græcis exemplaribus confusio, & ex eo tempore non amplius antiqua illa LXX. interpretatio plerisque in Ecclesiis lecta est, sed Origeniana & interpolata, quæ etiam, aut saltem similis, ad Ecclesiam Occidentalem operâ B. Hieronymi postea pervenit.

FINIS.

HIERO-

HIERONYMI LE CAMUS

Theologi Parisiensis

JUDICIUM

De nupera ISAACI VOSSII ad iteratas P. SIMONII Objectiones Responsione.

EDINBURGI,
Typis JOANNIS CALDERWOOD,
M. DC. LXXXV.
Cum Privilegio.

MUSICIUM

Clariſſimo Nobiliſſimoque Viro

J. H.

HIERONYMUS LE CAMUS

Theologus Pariſienſis.

LEgi ante paucos dies, vir optime, Iſaaci Voſſii ad iteratas Simonii Objectiones Reſponſionem, quæ Canonico magis digna videtur, quàm homine Critico: cùm in ea firmiſſimis Simonii rationibus nihil opponens præter inanem verborum ſtrepitum, ineptias ineptiis accumulet. Singula illius argumenta repeto & expendo, ut cognoſcas illum de rebus parùm ſibi compertis judicium tuliſſe. Objecerat Voſſio Simonius, priſcos Eccleſiæ Patres, Affricanum, Origenem, Euſebium, Hieronymum, Auguſtinum & alios qui Judæorum Codicis & LXX. Interpretum diſcrepantias in rebus chronologicis obſervarunt, de ulla Codicum depravatione Judæis objiciendâ nunquam cogitaſſe, ne ipſum quidem Juſtinum Martyrem, qui tamen eſt acerrimus adverſus Judæos diſputator. His cùm nihil ſolidi habeat Voſſius quod reſpondeat, provocat ad Arabes qui ſuæ ſententiæ faveant, uniuſque Abulpharaii verba refert prolixè ex Latina doctiſſimi Pocokii verſione. Verùm cum inepto Scriptore licet ineptire Voſſio, monſtroſasque ſequi opiniones cum homine qui tot fabulas & portenta in opus ſuum conjecit.

Addit tamen Voſſius, non defuiſſe olim viros qui Judæos depravationis hujus reos peregerint, idque ex Juliano Pomerio facilè cognoſci. Sed non aliud de hoc negotio ſentit Julianus Archiepiſcopus Toletanus, quàm Auguſtinus, cujus teſtimonia in ſuum opus verboſè tranſtulit. Conſtat autem Auguſtinum à Voſſii ſententia valde alienum fuiſſe, eumque redarguiſſe ætatis ſuæ homines, qui ubi Codices Græcos ab Ebraicis discrepare in rebus chronologicis animadvertebant, ſtatim affirmabant Ebraica Exemplaria à Judæis corrupta fuiſſe. Sed ejuſmodi objectionis vanitatem ſæpè oſtendit Auguſtinus, cujus hæc ſunt verba. *Inquiunt non eſſe credibile LXX. Interpretes, qui uno ſimul tempore unoque ſenſu interpretati ſunt, errare potuiſſe, aut ubi nihil eorum intererat voluiſſe mentiri; Judæos verò, dum nobis invident quod Lex & Prophetæ ad nos interpretando tranſierunt, mutaſſe quædam in Codicibus ſuis, ut in noſtris minueretur autoritas. Hanc opinionem vel ſuſpicionem accipiet quiſque ut putaverit: certum eſt tamen non vixiſſe Mathuſalem poſt diluvium.* Eamdem iterum quæſtionem tractans Auguſtinus de annis Mathuſalem, teſtatur apertè ſe in eorum ſententiam venire non poſſe, qui Judæos deditâ operâ ſuos Codices depravaſſe aſſerebant. Imò negat Judæorum gentem tam longè latèque diffuſam, in hoc conſcribendum mendacium conſpirare potuiſſe, ita ut, dum aliis invideant autoritatem, ſibi veritatem abſtulerint. Putat diverſitatem illam numerorum, qui in Græcis Latiniſque Codicibus aliter ſe habent quàm in Ebraicis, tribuendam non eſſe Judæorum malitiæ, ſed librariorum errori: ac demum hæc ſubjungit. *Rectè fieri nullomodo dubitaverim, ut cùm diverſum aliquid in utriſque Codicibus invenitur; quandoquidem ad fidem rerum geſtarum utrumque eſſe non poteſt verum, ei linguæ potiùs credatur unde eſt in aliam per Interpretes facta tranſlatio.*

Aug. lib. 15. de Civit. Dei.

Iſta & alia ſimilia ex libris Auguſtini in opus ſuum contra Judæos tranſtulit Julianus Archiepiſcopus Toletanus, in quo annos ab Adamo uſque ad Chriſtum ex Ebræis Græciſque Codicibus recenſitis, Græcos quidem præfert Ebraicis cum priſcis Eccleſiæ Patribus; ſed ſecutus Auguſtinum Judæos depravationis reos non peragit: contrà utriſque Codicibus fidem habendam eſſe exiſtimat, ubi non reperitur librariorum error; quia hanc diverſitatem Divino Spiritui tribuit, cùm LXX. Interpretes, referente Auguſtino, *non interpretantium munere, ſed Prophetarum libertate aliter voluiſſe dicere credendum ſit.* Affirmat idem Julianus, ex brevitate annorum quæ in Judæorum libris conſpicitur, nullum inſtare periculum fidei, nec eam brevitatem eſſe contrariam nativitatis Chriſti temporibus. Hæc clara ſunt & manifeſta, aptiſſimaque refellendis Abulpharaii & Voſſii commentis.

Ad Talmudicos poſtea tranſit Voſſius: ſed quàm bene hoc ſuccedat, tu ipſe, vir optime, judicabis: tot enim hoc loco refert ineptias, ut illo videar ineptior, ſi ſingulas perſequar. Hæc ſunt illius verba. *In Talmude prolixè narratur congreſſus Judæorum cum Hieronymo à Sancta Fide Rabbino Hiſpa-*

Hispano, sed ante trecentos annos facto Christiano. Sed quid ista significent ne quidem Elias divinaverit. Quî enim fieri potest ut Hieronymus à Sancta Fide, qui ante trecentos annos vixit, in Talmude cum Judæis congrediatur? Hieronymus ille à Sancta Fide fuit Medicus Pontificis Benedicti, qui Petrus de Luna appellatus est. Editæ sunt rationes quas Hieronymus è libris Talmudicis desumptas proposuit coram Benedicto, Cardinalibus, Magistris & Doctoribus: sed nihil prorsus eorum quæ illi tribuit Vossius in hoc scripto legitur: è contrario eadem planè ratione Judæos urget Hieronymus, quâ illos premendos esse censuit Simonius, ita ut suo seipsum gladio jugulaverit Vossius, cùm istum Scriptorem vocavit in auxilium. Riserat Simonius Vossium, qui Eliam Talmudicum Doctorem fecerat Prophetam. Jam probat & ipse Propheta Vossius ex supposito illo Talmudistarum congressu, non certò constitisse an hic Elias sit Propheta ille antiquus, an verò alius quidam Rabbi. Sed ea de re in scripto Hieronymi à Sancta Fide ne quidem verbum extat: imò ea quæ ex Talmude affert manifestè ostendunt Eliam Rabbinum fuisse. Quare nugatur bonus Vossius, quando de Simonio sic loquitur. *Simonius in gratiam Judæorum, ipsis Rabbinis Rabbinior, audaciter affirmat hunc Eliam fuisse Rabbinum.* Hoc quidem affirmavit Simonius, & affirmat iterum, quia clara sunt hoc loco Talmudis verba, quæ si legisset Vossius, nugatoribus Talmudistis nugacior, nugatorem in Prophetam non transformasset: illud enim de quo agitur vaticinium non solùm tribuitur in Talmude Eliæ, sed aliis Rabbinis qui istud etiam referunt. Autor itaque fuerim Vossio, qui tot nugatores inter Prophetas recensuit, istos etiam Rabbinos inter Prophetas & Prophetides collocet, ut longè adhuc majori Prophetarum & Prophetidum agmine stipatus bonus Vossius, nova sua procudat vaticinia. Verùm placet ipsa Talmudis verba afferre, ut ex illis quidquid nugarum de hoc Elia effutiit, faciliùs refellatur. Vaticinium istud in Tractatu Avoda Zara & in Tractatu Sanhedrin sic conceptum legitur: תנא דבי אליהו ששה אלפים שנה הוי העולם שני אלפים תוהו שני אלפים תורה שני אלפים ימות המשיח בעונותינו ירבו יצאו מהם מה שיצאו. *Docet domus Eliæ, sex annorum millibus erit mundus: bis mille annis inanitas: bis mille, Lex: bis mille, tempus Messiæ; propter iniquitates nostras, quæ multæ fuerunt, elapsi sunt ex iis, qui præterierunt.* Per domum autem Eliæ intellige ipsum Eliam & ejus discipulos. Utrùm autem vaticinium illud quod hoc loco producitur, verum sit vaticinium, non anquiro: sive enim vera sit Prophetia, sive non sit, certum est Eliam aliosque Magistros, qui vaticinium istud referunt, Rabbinos fuisse, non Prophetas: cùm in eodem Talmude paulò ante hæc verba quæ adduximus, istud etiam legatur. אמ' רב קטינא שית אלפים שני הוו עלמא וחד חריב. *Dixit Rabbi Katina, Sex annorum millibus erit mundus, & uno destruetur.* Jam si velit etiam Vossius istum Rabbi Katinam

Talm. Tract. Avoda Zara, cap. 1. Tract. Sanhed. cap. helec.

cum Rabbi Elia inter ſuos Prophetas collocare, per me licet ut nugetur; conſentientemque hac in re habebit Poſtellum magnum Prophetarum & Prophetidum amplificatorem, qui ſcribit Talmudicos alioſque ejuſdem naturæ libros ab eodem ſpiritu profectos eſſe atque Euangelium. *Sunt Zoar*, inquit Poſtellus, *Targum*, *Midras*, *Miſnajoth*, *Talmud utrumque & Euangelium appendices Legis Moſaicæ.* Attendat Voſſius ad ineptias in quas ſe conjicit, cùm obſtinato animo contendit Talmudicum Eliam eſſe verum Prophetam, objicitque Simonio, eum nihil amare niſi quod diſtortum ſit, eique ſolenne eſſe Prophetas in nihilum redigere. Verum eſt Simonium redigere in nihilum Prophetas Voſſianos qui nugatores ſunt & impoſtores. Gaudeat ejuſmodi Prophetis beatulus Voſſius, autorque illi ſum, ut eos albo Sanctorum quos Anglicana Liturgia continet, adjiciat: multa ſiquidem in illius Liturgiæ Calendario ſpatia vacua ſunt relicta, quibus omnes ſancti Prophetæ & ſanctæ Prophetides Voſſii facilè inſeri poterunt.

Poſtel. lib. de Origin.

Pergit, & ut in Talmude exercitatum ſe eſſe oſtendat, aſſerit ne nunc quidem Rabbinos dubitare, vaticinium de duratione mundi eſſe Eliæ Prophetæ, dummodo & illius eſſe admittantur illa quæ ſequuntur verba; *Sed propter peccata noſtra præterierunt anni qui præterierunt.* At unde hæc ſumpſerit bonus Voſſius, divinet Elias Talmudicus. Addit neminem qui aliquo præditus ſit judicio negaturum adjecta eſſe verba illa à Rabbinis: ſed ego contra auſim affirmare, neminem qui ſani ſit ſincipitis hac in re fidem habiturum rationibus quas profert Voſſius ut illud adſtruat. *Ipſa*, inquit Voſſius, *id ſatis teſtatur phraſis, cùm Eliæ vaticinium Chaldæo, additamentum verò Hebræo ſit expreſſum ſermone.* Verùm quid ſit Ebraicè loqui, quid Chaldaicè, neſcit Voſſius, cùm Eliæ verba minùs non ſint Ebraica, quàm iſta clauſula quam putat à Rabbinis adjectam fuiſſe vaticinio Eliæ. Neque etiam oſtendit ſe judicio præditum, cùm Eliam Prophetam Chaldaicè loquentem repræſentat, Doctores verò, Talmudicos Ebraicè loquentes. Nugatur iterum Voſſius, dum probare conatur ex alio Talmudis loco, clauſulam hanc recenter additam fuiſſe, & ex ſcripto Hieronymi à Sancta Fide, in quo illud additamentum non reperitur. Verùm quidem eſt in ſcripto Hieronymi quod editum habemus non legi iſtam clauſulam, quia hæc nihil faciebat ad inſtitutum ſuum & ad Eliæ verba quæ refert. Satis fuit ex Talmude ea referre, quibus urgere fortiter poterat Judæos ex ipſorum Chronologia, & oſtendere dudum adveniſſe Meſſiam: ad quod probandum nihil planè faciebat clauſula iſta quæ in omnibus Talmudis editionibus legitur, & à Scholiaſtis Talmudis ante Hieronymi à Sancta Fide tempora explicatur. Hæc boni Voſſii ſomnia apertè docent, eum à Simonio rectè monitum fuiſſe, ut priùs in Rabbinorum caſtra tranſiret, quàm de illorum rebus ferret ſententiam.

Inſtat deinceps Voſſius, aitque Simonium à ſe monitum fuiſſe, bis mille annos qui in Eliæ vaticinio dicuntur ante Legem effluxiſſe, accipiendos eſſe de tempore quod à diluvio ad Moyſem

Moysem & Legem datam interceſſit, cùm Apoſtolus & pleræque Orientis gentes, quæ aliquam diluvii habent cognitionem, ſic loquantur, mundi initium à diluvio arceſſentes aut à Noacho. Verùm iſtud Voſſii monitum tanquam frigidum meritò exploſit Simonius, cùm in præſenti negotio non agatur de B. Petri & Orientis gentium ſenſu, ſed de Eliæ vaticinio apud Talmudicos, ac de Judæis ex ipſo Talmude & eorum Chronologia refellendis. Voſſium monuerat Simonius, nihil omnino probabilitatis habere argumentum quo probare nititur Judæos in ſuis Codicibus expunxiſſe quatuordecim ſecula; quia Meſſiam expectant, quem nos adveniſſe putamus. Id credibile non eſſe Simonius animadverterat, cùm Judæi ex Codicis Ebræi lectione fortiùs premi poſſint, quàm ex Græca LXX. Interpretum Verſione. Quid Voſſius ad hæc? Ait à diluvio, non ab Adamo arceſſendos eſſe annos in explicando Eliæ vaticinio. Contrà ait Simonius, annos illos numerandos eſſe eâ ratione quâ in Talmude à Judæorum Magiſtris Talmudiſque Scholiaſtis numerantur, cùm de rebus Judæorum inſtituatur diſputatio, ipſique Judæi haud inviti agnoſcant Codicum ſuorum Chronologiam ſibi eſſe contrariam, tempuſque quo venturus erat Meſſias præteriiſſe: & cùm nihil ſolidi illis ſubſit quod reſpondeant Chriſtianis rationem hanc ex illorum Chronologia urgentibus, dilationem adventûs Meſſiæ in peccata ſua rejiciunt. Hoc etiam argumento Judæos urget Hieronymus à Sancta Fide, neque annos mundi à Noacho arceſſit, ſed ab Adamo cum Judæis Talmudicis, & Rabbi Salomone, quem Talmudis gloſſatorem appellat; neque quemquam ſcio, qui in eo de quo agitur argumento annos mundi à Noacho arceſſat, ſi unum excipiamus Voſſium, qui in fingendis commentis Rabbinis Rabbinior eſt: nam & ipſe Julianus Archiepiſcopus Toletanus, qui in ſua Diſputatione contra Judæos LXX. Seniorum Chronologiam præfert Judaicæ, ſumit initium annorum mundi ab Adamo.

Objicit iterum Simonio Voſſius, eum pro Elia Propheta nugatorem Rabbinum ſubſtituere, ac dicere per Legem hîc intelligi tempus iſtud quo Abrahamus relictis idolis ad veri Dei cultum acceſſit; & hoc pacto ſubverti penitus vaticinium. Verùm nugatore illo Rabbino nugacior eſt Voſſius, qui pro nugatore Rabbino ſubſtituit Eliam Prophetam. Illa autem quæ attulit Simonius de tempore, ſumpſit ex ipſiſmet Rabbinis: hæc enim ſunt illius verba. *Magiſtri, qui Commentariis ſuis Talmudis libros illuſtrant, bis mille annos numerant à primo homine condito uſque ad tempus illud quo Abraham relicto idolorum cultu veram Dei unius legem amplexatus eſt.* Hæc ſi facta ſunt, debuit Voſſius falſitatis arguere Simonium ex Talmudicis Scholiaſtis, quos convincendis Judæis utiles hoc loco judicavit Simonius: at Voſſius, qui nihil aliud ſcire videtur, quàm edere inanem ſtrepitum verborum, ait fruſtra Simonium conari perſuadere ad convincendam Judaicam Chronologiam, ſe mirificum conferre beneficium. *Si quis*, inquit Voſſius, *Judæos hac ratione aggrediatur, ludi-*

brio erit, & nihil nisi risum referet. Verùm quâ arte meliùs Judæorum convinci potest Chronologia pro adstruendo Messiæ adventu, quàm ex eorum libris, quos in hoc negotio sibi adversari agnoscunt; ita ut etiam inter illos non defuerint, qui Messiam non ampliùs expectandum affirmaverint? Rident quidem Judæi: sed quid rident? Vossii ineptias, qui in tractandis eorum libris tam ineptum se ostendit.

Pergit deinceps Vossius, cùmque nihil habeat quod respondeat ad ea quæ sequuntur, quærit effugium, nihil iis solidi esse affirmans; gravissima tamen sunt & digna quæ à Vossio expenderentur, cùm in iis de quibusdam Scripturæ locis agatur, quæ à Judæis deditâ operâ & odio Christianæ Religionis corrupta fuisse contendit, eosque qui aliter sentiunt fanaticos & sesqui-Judæos pronunciat. Sed crimen illud amolitur à Judæis Simonius, putatque illas lectionum diversitates in Exemplarium discrepantiam rejiciendas esse, non in Codicum depravationem, cùm ea sors sit omnium librorum, ut scribæ in illis describendis interdum labantur. Mutos esse Codices Ebræos quibus nunc utuntur Judæi, autor est Vossius; sed ait Simonius, simili ratione mutos fuisse Codices Ebræos LXX. Interpretum, imò & Samaritarum Codices, quos tamen nemo sani judicii mutos appellaverit. Istud enim est nationum Orientalium ingenium, ut libros suos cum paucis vocalibus scribant per literarum compendia; sique ob hanc causam muti sunt Judæorum libri, similiter muti erunt Samaritarum, Chaldæorum, Syrorum & Arabum Codices.

Vana esse pronunciaverat Simonius ea omnia quæ Vossius adversus Judæos ex Justini Martyris aliorumque Patrum testimoniis congessit, idque se jam alibi demonstrasse dixerat. Quid ad hæc Vossius? *Somniabat Simonius cùm hæc scriberet.* Imò tunc vigilans Simonius Vossii & ejus similium refellebat somnia, ut manifestò liquet ex Capite 9. Disquisitionum Criticarum, quas ipse Simonio tribuit. Longè plura afferri possent, quibus constaret Vossium Patrum scripta ne quidem à limine salutavisse: at satis erit hoc loco expendere quæ habet Vossius de verbis Jonæ, Cap. 3: 4. *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur.* Lectionem hanc, & Græcam, in qua extat *Adhuc triduum*, æqualiter rejicit, aitque Augustinum conatum esse componere hanc litem, sed nihil profecisse; Theodoretum meliùs errorem Græcorum Exemplarium non Interpretibus, sed librariis imputare; miratum esse Hieronymum hanc diversitatem, cùm nulla aut verborum aut numerorum sit affinitas. Vossius autem illis omnibus oculatior, affirmat quæstionem hanc solvisse Justinum Martyrem, qui in Dialogo cum Tryphone ista Interpretum verba producens, dies numeret quadraginta tres: ita ut secundùm Vossium, utriusque Codicis tam Græci quam Ebræi lectio corrupta fuerit, & in Græcis Codicibus olim fuerit, non ut vulgò, ἔτι τρεῖς ἡμέραι, *Adhuc tres dies*; sed ἔτι τρεῖς καὶ μί. ἡμέραι, *Adhuc quadraginta tres dies*. Hæc quidem lectio jam

Voss. de Tralat. 70. Interp. cap. 23.

à Mel-

Melch. Can. de Locis Theolog. lib. 11.

à Melchiore Cano observata fuerat; sed est monstrosa, utpote quæ conflata ex duplici lectione, nimirum ex Aquilæ & LXX. Interpretum Versione. Rem ita esse deprehendisset bonus Vossius, si ad Dialogum Justini Martyris animum advertisset: nam constat sanctissimum illum Patrem Scripturæ verba haud infrequenter proferre ex LXX. Interpretum Versione simul & Aquilæ Tralatione. Scio in hoc ipso Justini loco etiam legi ἐν ἄλλοις τρεῖς, *in aliis tres.* Sed manifestum est additamentum. Nodum hunc optimè solvit Theodoretus, cujus etiam verba leguntur in Scholiis Romanis. Animadvertit vir ille doctissimus, Aquilam, Symmachum & Theodotionem legisse τεσσαράκοντα, *quadraginta*, & cum his consentire Syrum & Ebræum: Συμφωνοῦσι δὲ καὶ τούτοις καὶ ὁ Σύρος καὶ ὁ Ἑβραῖος. Dein, nonnullis interjectis, suspicatur etiam sic ab initio scriptum fuisse in LXX. Interpretum Versione, eosque qui ab initio scripserunt, errasse, quorum postea error in omnia Exemplaria permanarit. His verbis Theodoretus non solùm docet quæ sit germana hujus loci lectio; sed & Vossii sententiam de Ebræis, Græcis & Syriacis Codicibus refellit; cùm non dubitaverit omnia Exemplaria Græca ex Ebræo, Syro, Aquilâ, Symmacho & Theodotione corrigere, laudaveritque Syrum Interpretem, qui cum editione Syriaca hodierna, quæ ex Ebræo sumpta est, consentit.

Pergit dein Vossius nugari, Propheticum ensem iterum distringens. Simonius ei objecerat, extra instituti sui rationem esse, illud omne quod in Responsione ad Criticam Sacram de Prophetis verbosiùs adduxit; atque ubi de LXX. Interpretibus agebatur, quos verè Prophetas & divino afflatu inspiratos asserit, multa congeri inutiliter de oraculorum, somniorum, furtorum & similium interpretibus vel indicibus, qui etiam Prophetæ appellati fuerint: quasi verò de ejusmodi Prophetis instituta fuerit quæstio. Rectè itaque dixit Simonius, Vossium quærere latebras, & ab eo malè redargui Hieronymum, qui scripserit LXX. Seniores Prophetas non fuisse, sed Interpretes. Contendit siquidem Vossius, Hieronymum manifestè contradicere Apostolo, qui pluribus in locis προφητεύειν sumpsit pro *interpretari*; Epimenidem Cretensium Prophetam vocari ab eodem Apostolo; secundùm Platonem in Timæo & alibi, Prophetas dici cujuscunque veritatis testes. Verùm quò tendat ista Vossii garrulitas, tu ipse judicabis, vir optime. Perinde illi est quid scribat, modò scribat. Quando negavit Hieronymus, LXX. Interpretes esse Prophetas, constat eum locutum non fuisse de aliis Prophetis, quàm de iis qui sunt Divino Spiritu afflati. De his Prophetis loquentem Hieronymum debuit refellere Vossius, non verò excurrere inaniter, ac disserere de hominibus furiosis, somniatoribus, Poëtis, aliisque ejusdem generis Prophetis; cùm isti Prophetæ Vossiani nihil omnino ad rem faciant.

Voss. in Resp. ad Obj. Crit. Sac.

Quasi satis non fuerit Vossium tot ineptias de Prophetis in Responsionem suam ad Objectiones Criticæ Sacræ conjecisse, alias iterum illis accu-

accumulat, aitque Simonium proprio ſeipſum gladio jugulaſſe, quia Hieronymus Pauli verba explicans, affirmat Epimenidem per illuſionem & ironiam ab Apoſtolo vocari Prophetam. Sed videat bonus Voſſius, an ſuo ſeipſum potiùs gladio Prophetico jugulaverit, cùm inde manifeſtum ſit, nomen Prophetæ eſſe ambiguum. At Simonius ambiguitatem illam Hieronymo cognitam fuiſſe indicavit, cùm dixit illum vocis iſtius proprietatem optimè noviſſe; ſed negaſſe eo tantùm ſenſu illos eſſe Prophetas, quo nomen Prophetæ à priſcis Patribus ſumitur, quando LXX. Interpretes appellant Prophetas. Sed pudet me tot ineptias Voſſii, totque ejus commenta, quæ nihil ad inſtitutum faciant, refellere.

Jam à Prophetia tranſit ad Grammaticam Voſſius; & quia non ſolùm Propheta eſt, ſed & de gente Latina & Latinis Latinior, Simonium arguit, qui ſcripſerit *Voſſio latuit*, cùm ſcribendum eſſet, *Voſſium latuit:* qua in re Deſpauterianum magis ſe oſtendit Voſſius, quàm Ciceronianum: nam Scioppius aliique præſtantiſſimi Grammatici affirmant, Latinum non eſſe *latet me*, idemque Scioppius teſtis in hac materia locupletiſſimus præfert *latet mihi*; quia locutionis iſtius exempla non deſunt in libris Ciceronis. Verùm litem hanc ad Voſſianos Magiſtellos cinctos togâ Profeſſoriâ remittendam eſſe duxi; quia non placet minuta conſectari. Simonius autem Voſſio objecerat, ei latuiſſe quæ ipſe Simonius de Hieronymi ſententia dixerat. *Sed*, inquit Voſſius, *valde mirabitur Voſſius, ſi quidquam hac de re ſcripſerit Simonius, quod Voſſium latuerit.* Videtur tamen ignoraſſe Voſſius, quæ Capite 9. Diſquiſitionum Criticarum de Hieronymo illiuſque ingenio allata ſunt. Si hæc Voſſio non ſufficiant, paratus eſt Simonius demonſtrare Voſſium fœdè erraſſe non in unius Hieronymi, ſed & in reliquorum Patrum teſtimoniis recenſendis.

Ait deinceps Voſſius, carpi ſe à Simonio, ac ſi dixerit præcepta Grammatica à Judæis ante ſexcentos demum annos fuiſſe completa, cùm nuſquam tale quid dixerit; ſed puncta vocalia Judæorum non excedere ſex ſeculorum ætatem. Verùm quærit effugium Voſſius qui duplicem diſtinxit Grammaticam, quam etiam agnovit Simonius, antiquam unam, novitiam alteram. Hæc cum punctis vocalibus orta eſt. De prima non diſputavit Simonius, ſed de altera tantùm, cùm de punctis vocalibus ageretur. Jam Voſſius ſecutus Morinum in prima Exercitationum Biblicarum parte, exiſtimavit ante R. Judam nullam Judæos habuiſſe Grammaticam, aut admodum exiguam. Contra hanc Grammaticam declamitat Voſſius, eamque novitiam appellat quæ à ſexcentis annis nota fuerit. Sed contendit Simonius, hanc cum punctis vocalibus ante annos 900. inventam fuiſſe. Imò ſententiam ſuam Morinus in poſteriori Exercitationum ſuarum parte retractavit.

Contra autem illud quod ſcripſit Voſſius, in Ægypto Syriâque tempore Apoſtolorum ſolam linguam Græcam fuiſſe vernaculam, exceperat Simonius, præter linguam Græ-

Græcam in Ægypto auditam fuiſſe linguam Copticam, in Syria Syriacam, in Judæa Judaicam. At regerit Voſſius, falli Simonium, cùm ne nomen Copticæ linguæ extiterit antequam Arabes potirentur Ægypto. Verùm pace doctiſſimi Voſſii dixerim, eum non magis ſcire Copticè, quàm Ebraicè & Chaldaicè. De nomine non diſputo, ſed de re ipſa. Coptici ſermonis nomine intelligo ſermonem Ægyptiacum qui tunc apud Ægyptios vigebat præter ſermonem Græcum. De tempore autem quo Ægyptii appellati fuerint Copti, & eorum lingua Coptica, inutile eſt diſputare, cùm id non faciat ad inſtitutum. Dico autem ſermonem Copticum ſive Ægyptiacum fuiſſe in Ægypto antequam Arabes potirentur illis regionibus. Verùm, ſicut ſub Græcis Principibus Græcis vocibus auctus fuit; ita ſub Arabibus Arabicis vocabulis adauctus fuit. Demum poſtquam lingua Arabica in Ægypto cœpit eſſe vernacula, paulatim in deſuetudinem abiit ſermo ille Copticus ſive Ægyptiacus, coactique ſunt Copti libros ſuos Copticos in ſermonem Arabicum convertere. Id palam teſtantur Biblia MSS. Copticè & Arabicè deſcripta. Simili ratione manuſcriptæ Coptorum Liturgiæ ſub duabus columnis exaratæ conſpiciuntur Arabicè & Copticè. Quod autem ſubjicit Voſſius, ex eo probari linguam Copticam non extitiſſe antequam Arabes potirentur Ægypto, quòd illa lingua ex Græco & Arabico ſermone conflata ſit, futiliſſimum eſt: ſimili enim ratione dixerim novitiam eſſe linguam Turcicam, quòd in ea multæ ſint voces Arabicæ. Conſtat tamen linguam hanc veterem eſſe Scythicam, in quam poſtea multæ voces Arabicæ invectæ fuerunt. Quod etiam de lingua Perſica dicendum eſt. Si quid concludat Voſſius, concludat etiam nullam linguam fuiſſe Anglicam in Anglia antequam Normani Principes potirentur Angliâ, quia in ſermone Anglico complures ſunt voces Normanicæ.

Verùm diſtortas concluſiunculas ita amat Voſſius, ut vix aliæ in ſuis libris appareant. Sic eâdem ratione concludit novitiam eſſe Syriacam Veteris Inſtrumenti Verſionem, quia Græcis ſcatet vocabulis; pariter Syriacam Novi Teſtamenti Tralationem nuperam eſſe, quia in eo infimæ Latinitatis reperiuntur vocabula, quale eſt illud quod occurrit Matthæi Cap. 27. verſ. 65. קסטונרא, *quæſtionarius*. Qui facit omnia bellè Voſſius, bellus eſt quoque Criticus, quique eodem argumento conficiet Græcum Novi Teſtamenti Codicem novitium eſſe, quia multa etiam in eo reperiuntur Latina vocabula, inter quæ numerari poteſt illud quod infimæ Latinitatis eſſe pronuntiat: quippe in Syriaco legendum non eſt קסטונרא cum ר ſive *r*; ſed קסטונרא cum ד ſive *d*: & eſt ipſa vox κουςωδία, quæ hoc ipſo loco in Græco extat, ſumpta ex Latina *cuſtodia*. Norunt qui Syriacè legere ſciunt, nihil prorſus eſſe diſcriminis inter ר & ד, ſive *r* & *d*, niſi quòd ר puncto notetur deſuper; idem verò punctum ſit infra ד, illudque in MSS. Codicibus interdum abeſt. Iſta autem punctorum con-

Voſſ. de Sept. Interp. Tranſl. cap. 28.

fusio in libris manu exaratis magnam quoque attulit sensuum confusionem in libris editis, cujus confusionis exempla innumera sunt in Bibliis Polyglottis, quæ primùm Parisiis edita, deinde Londini recocta sunt. Ne autem objiciat Vossius, in voce Syriaca haberi literam ʒ sive *n*, quæ in Græca & Latina non extat, dico solenne esse Syris & Chaldæis literam istam suis vocabulis adjicere, illiusque additionis infinita esse exempla. Denique illud quod subjungit Vossius, Simonium quoque in eo falli, quòd Syriacam linguam Hierosolymis vernaculam fuisse dixerit, non expendo, quia plura de hoc postea se dicturum pollicetur Vossius, & ibi sententiam quoque illius de hoc argumento expendam. Nunc ad alia Vossii commenta, quæ his majora sunt, venio.

Dixerat Vossius, Judæorum δευτερώσεις sive Traditiones ante Justiniani tempora sermone duntaxat Græco concinnatas fuisse, librumque Misnæ è Græco in Ebræum sermonem circa illud tempus conversum. Hanc opinionem ut portentosam riserat Simonius. Quid ad hæc Vossius? *Caveat Simonius, ne intempestivo risu ipse fiat ridiculus.* Sed tempestivum fuisse risum Simonii, adeoque ridiculum esse Vossium, manifestè ostendunt ea quæ iterum affert idem Vossius, ut sententiam suam defendat. Ille enim affirmat librum δευτερώσεων sive Traditionum, cujus mentionem facit Justinianus, sermone Græco conscriptum fuisse, quia tunc in Imperio Romano non alia erat lingua vernacula quàm Græca: & quia nunc longè oculatior factus est Vossius, addit Aquilam primum fuisse Traditionum illarum compilatorem; δευτέρωσιν esse secundam Aquilæ editionem, quæ non tantùm sacrorum librorum Versionem continuerit, sed & instructa fuerit Commentariis seu Annotationibus margini adscriptis, quas idem Aquila ex Judæorum Traditionibus compilaverat. *Risum teneatis amici.* Quot verba, tot ineptias effudit bonus Vossius.

Et ut à nomine δευτερώσεων sumamus initium, sæpe illud occurrit in Patrum tum Græcorum tum Latinorum scriptis, à quibus non alio sensu usurpatur, quàm pro Judaicis Traditionibus. Sic Hieronymus in Epistola ad Abgasiam & alibi passim ait, Judæos suas Traditiones appellare δευτερώσεις. Similiter Augustinus & alii Patres observant Judæos hac voce suas Traditiones denotare. Iidem quoque Patres, qui secundæ editionis Aquilæ mentionem fecerunt, nunquam illam δευτέρωσιν appellant. Verùm ait Vossius, veterem Novellarum Interpretem δευτέρωσιν rectè vertisse *secundam editionem.* At quid inde confici potest? An ideo secunda illa editio est secunda editio Versionis Aquilæ, quia δευτέρωσιν vetus Novellarum Interpres reddidit *secundam editionem?* Misnam sive δευτέρωσιν etiam hodie Judæi vocant secundam Legem, seu secundam Legis editionem, quòd illa, ipsis referentibus, sit Legis repetitio. Idcirco vetus Novellarum Interpres, qui verbum de verbo expressit, secundæ editionis nomine nihil aliud intelligit quàm secundam Legis Judaicæ editionem: sic enim etiam Judæi vocant suas Traditiones, quas non minùs à

Hieron.

Augusst.

Deo

Deo profectas fuisse existimant, quàm ipsam Mosis Legem.

Euseb. Orig. Hieron. Nunc ad rem ipsam veniamus. Fierine potuit ut Eusebius, Origenes, Hieronymus, aliique Patres qui utriusque Versionis Aquilæ sæpe mentionem fecerunt, ne verbum quidem dixerint de Commentariis illis Aquilæ, quos supponit Vossius illum secundæ editioni suæ adjecisse? Simili argumento utuntur plerique viri docti, imò & ipse Vossius, ut ostendant ante Origenis & Hieronymi tempora non extitisse Chaldaicam Onkelosi Paraphrasim; nec sanè invalidum est argumentum illud: sed longè validius est in præsenti materia, cùm agatur de libro qui Græco sermone tunc vernaculo scriptus fuerit: lingua autem Chaldæa perpaucis cognita fuit; cùm & ipse Hieronymus, qui Ebraicè sciebat, vix Chaldaicè sciverit.

Quod verò ait Vossius, δἀπρώσεις sive Traditiones ante Justinianum non alio sermone scribi potuisse quàm Græco, quia non alia erat lingua vernacula in toto Imperio Romano quàm Græca; illud non est ad rem, cùm ante illa tempora nullus esset Traditionum liber apud Judæos scriptus & editus, ut apertissimis *August.* verbis testatur Augustinus, qui ait, *Judæos Traditiones suas non scriptas habere, sed eas memoriter tenere, alterumque in alterum loquendo illas transferre, quas δἀπρώσεις vocant.* Quare inutile est quod ibidem subjungit Vossius, Traditiones Hebræas Hieronymi in Genesim & reliquos Scripturæ libros è Græco translatas fuisse sermone. Præterea suo etiam gladio hìc seipsum jugulat bonus Vossius, qui ex eò quòd non alia in Imperio Romano audiretur lingua quàm Græca, concludit ante Justinianum Traditiones Judæorum Græcè scriptas fuisse. Si hæc ratio valeat, necesse fuit etiam Justiniani tempore illas scribi Græco sermone, cùm tunc lingua Græca fuerit vernacula. Tamen Vossius affirmat Judæorum Traditiones tunc temporis è Græco in Ebræum sermonem translatas fuisse. Sed ridiculus & ipse fiam qui tot ineptias Vossii refellam.

Instat iterum Vossius, aitque Judæos, teste Epiphanio, δἀπρώσεις *Epiphan.* sive Traditiones adscribere Rabbi Akibæ; Aquilam, teste Hieronymo, discipulum fuisse Akibæ; adeoque Aquilam collectorem esse Judaicarum Traditionum. *Ad compescendum,* inquit Vossius, *Simonii hæc, ut puto, sufficient risum.* Imò non dubito quin Simonius iterum risum effundat, cùm tam lepidum ratiocinatorem audiet. Quæsierim à Vossio, cur Epiphanius, qui Mosem, Akibam, aliosque Magistros profert à quibus Judæi Traditiones suas hauserint, Aquilam etiam inter illos non recensuerit, si verum est, ut existimat Vossius, illum eas Græco sermone compilasse & in publicum edidisse; maximè cùm Moses, Akiba & alii quorum mentionem fecit Epiphanius, Traditiones illas scriptis non evulgaverint?

Si quis autem aveat scire, cur illis temporibus cùm lingua Græca in toto Imperio Romano erat vernacula, Judæorum Magistri suas Traditiones Ebraicè scripserint, hæc accipiat. Judæi qui δἀπρώσεις docuerunt, quique eas collegerunt, Ebraicè & Chaldaicè sciebant, ut & plerique Judæi

etiam ætate Hieronymi, qui in Præfatione in Tobiam, quem ex Chaldaico Latinum fecit, hæc habet:

Hieron. *Et quia vicina eſt Chaldæorum lingua ſermoni Hebraico, utriuſque linguæ peritiſſimum loquacem reperiens, unius diei laborem arripui, & quidquid ille mihi Ebraicis verbis expreſſit, hoc ego & accito Notario ſermonibus Latinis expoſui.* Si quid igitur Judæorum Magiſtri Traditionum ſuarum in adverſaria retulerint, quod & eos feciſſe veriſimile eſt, ſcriptum fuit Ebraicè vel Chaldaicè; indeque ortum fuit ut Talmudis libri his linguis conſcripti fuerint. Conſtat Doctores Tiberiadis ætate Hieronymi Ebraicè & Chaldaicè fuiſſe locutos: iidem quoque Magiſtri Tiberiadenſes, qui poſtea Maſoram compilarunt, uſi ſunt vocibus Chaldaicis.

Expendit poſtea Voſſius nonnulla Scripturæ loca, ex quibus oſtenderat Simonius Hieronymum aliquando bene, aliquando malè LXX. reprehendiſſe Interpretes: at Voſſius, qui putat illos etiam Prophetas fuiſſe, eoſdem facit ab omni errore immunes. Verùm quàm feliciter illud Voſſio ſucceſſerit, quia paratus eſt Simonius demonſtrare in libro quem editurus eſt, in quo Codices Ebraicos & Hieronymi Tralationem defendit, non eſt cur loca iſta expendam, maximè cùm Simonius etiam interdum caſtigaverit Hieronymum, qui non Propheta, ſed Interpres fuerit. Dixerim tantùm hoc loco, Interpretem quemlibet, etiam Aquilam, quem omnium Interpretum futiliſſimum eſſe Voſſius exiſtimat, eadem arte eademque facilitate defendi poſſe, quâ ipſe LXX. tuetur Interpretes.

Objecerat præterea Simonius, Hieronymum longè aliter de lingua LXX. Interpretum ſenſiſſe, quàm ipſe ſentiat Voſſius, qui Græcam illam prorſus eſſe affirmat, putatque ex verbis Hieronymi ſcribentis Gioram, quod habent LXX. Interpretes, Ebraicum eſſe, non Græcum, concludi non poſſe Verſionem hanc Græcam non eſſe, cùm Euangelia, in quibus complura verba Ebræa occurrunt, non ideo deſinunt eſſe Græca. Verùm, ut & ipſe Voſſius judicet quàm bene hac in parte cum Hieronymo conſentiat, placet doctiſſimi illius Patris verba afferre ex illius Commentariis in Epiſtolam ad Galatas. *Verbum ἀποκαλύψεως, id eſt, revelationis, propriè Scripturarum eſt, & à nullo ſapientium ſeculi apud Græcos uſurpatum. Unde mihi videntur, quemadmodum in aliis verbis quæ de Ebræo in Græcum LXX. Interpretes tranſtulerunt, ita & in hoc magnopere eſſe conatos, ut proprietatem peregrini ſermonis exprimerent nova novis rebus verba fingentes.* Hæc clara & manifeſta ſunt, mentemque Simonii de lingua Græca LXX. Interpretum & Novi Teſtamenti apertè confirmant. Hieron.

Similiter eludit Voſſius Joſephi teſtimonium, qui etiam, referente Hieronymo, teſtatur LXX. Interpretes ſolos quinque libros Moſis Græcè reddidiſſe. Ait nuſquam hoc Joſephum affirmaſſe, ſed eos dixiſſe Legem tantùm vertiſſe, quo nomine tota Ebraica Scriptura intelligi debeat. Noverat Simonius ambiguum eſſe Legis nomen, nec ſolùm quinque libros Moſis denotare, ſed & interdum univerſam Scripturam. Verùm ex illa ambiguitate nunquam efficiet

efficiet Vossius cum Morino suo, Josephum de solis quinque libris Mosis locutum fuisse. Neque aliter de hoc argumento sentiebant prisci Judæi, quàm ipse Hieronymus.

Negat dein Vossius, se unquam scripsisse in libris obscurioribus, veluti Jobi & Proverbiorum, LXX. Interpretes magis accuratos se ostendere; cùm sciat illos ubique optimorum Interpretum bene functos esse munere. Verùm non aliud Vossio tribuit Simonius, quàm quod ipse Vossius scripsit, nimirum hodiernos Interpretes meras promere ineptias, præsertim in obscurioribus Scripturæ libris, integraque se posse ex illis libris adducere capita, in quibus ne unicus quidem occurrit versiculus qui ab illis Interpretibus intellectus fuerit; ac demum concludit Vossius, ubicunque deseruntur LXX. Interpretes, ipsam quoque ibi deseri veritatem. Ista sunt quæ voluit refellere Simonius, & in Disquisitionibus Criticis post illa verba, *magis accuratos se ostendunt*, legendum est, *quàm novi Interpretes*; quæ verba omissa sunt. Falli itaque putat Simonius Vossium, qui scribit in libris Jobi, Ecclesiastæ, Oseæ ac similibus, LXX. Interpretes accuratiores esse novis Interpretibus; cùm illi sæpe in his libris non solùm à vocibus, sed & à sensu recesserint, ut omnibus qui Græcè & Ebraicè sciunt, statim erit obvium. Placet hîc unum è sexcentis locum proferre etiam in re minimè obscura. Proverbiorum Capite 6: 16. in Ebraicis Codicibus, quos sequuntur Hieronymus, Syrus Interpres & Chaldæus, legimus sex esse, imò septem quæ odit Deus. Ibidem septem illa quæ Deus odit, enumerantur, quæ Codicis Ebraici lectionem apertè confirmant. In LXX. Interpretibus neque *sex* neque *septem* legitur; idque ex eo ortum est, quòd in suis Codicibus Ebraicis aliter legerint. Ratio autem contextûs & ea quæ consequuntur, hodiernam lectionem præferendam esse docent manifestè.

Quæ autem eodem loco addit Vossius adversus Hieronymum, de Rodanim, nihil omnino ad rem faciunt; cùm etiam annotatum fuerit à Simonio in hoc peccasse Hieronymum. Hæc enim sunt verba Simonii in hunc locum. *Non is tamen sum qui ab Hieronymo ita pendere velim, ut etiam illius errores, qui sanè plurimi sunt, approbem.* Quare longè satius fuisset etiam cum Simonio agnoscere in multis quoque errasse LXX. Interpretes, errorumque causas cum ipso aperire. Verùm LXX. Seniores ipsi Vossio sunt Prophetæ, adeoque necesse est eos ab omni errore immunes fuisse. Noverat Simonius etiam ætate nostrâ non deesse Theologos, qui Hieronymum quoque inter Prophetas collocent, quique doctissimi illius Patris errores tueantur: sed illos, quia non saniori judicio videntur quàm ipse Vossius, deseruit, judicavitque secundùm Criticæ regulas expendenda esse ea omnia quæ in LXX. Interpretibus carpit Hieronymus tanquam minùs bene translata, maximè cùm in pluribus veniâ dignus sit idem Hieronymus, qui testetur *Hieron.* fieri non posse quin peccaverit in multis, fateaturque se nonnulla dictandi celeritate, dum parùm attendit, non bene vertisse. Similiter quis negaverit, LXX. etiam Interpre-

tibus, quia homines erant, multa excidisse. In eo verò quod ibidem subjicit Vossius, perire Prophetiam, si *Agag* legamus, ineptum se ostendit Criticum: ut enim de sensu hujus loci nihil dicam, certum est addi potuisse huic nomini literam א, Aleph, quæ nihil sensûs mutet. Sic hoc loco Interpres Arabs Samarita, qui in Codice Samaritico & in Versione Samaritica legit *Gog*, non dubitavit in Versione sua Arabica reponere *Agog*.

Cap. 24. Numer.

Jam ad Caput XVIII. Criticarum Disquisitionum transit Vossius, in quo manifesti illius errores circa Origenis Hexapla castigati fuerant: cùmque nihil solidi habeat quod respondeat Simonii objectionibus, caninam promit eloquentiam, verbisque pugnat, non rationibus. Ait monitum à se fuisse Simonium ut caveret ab Epiphanio sibi ipsi contradicente, & ab aliis qui eum secuti fuerant. Verùm Simonius longè satius esse existimavit Epiphanio testi oculato credere, qui Tetrapla & Hexapla vidit, quàm Vossio somnianti. Falsum quoque est hac in re sibi contradixisse Epiphanium. Quia verò totus ab aliis pendet Vossius, qui ne quidem à limine Patres salutavit, Simonium ad Henrici Valesii annotata relegat. Sed non ignoravit Simonius quid ea de re à doctissimo Valesio scriptum fuerit, qui à Vossii sententia alienus est: probat enim Epiphanii & Ruffini testimoniis, in prima columna verba Ebræa Ebraicis literis posita fuisse, & in secunda columna eadem verba Ebræa Græcis literis fuisse descripta.

Negaverat Simonius, Origenem unquam cogitasse de Codice Samaritarum suis Hexaplis inserendo, idque firmissimis rationibus probaverat. Quid ad istas Vossius? Nihil præter voces, phrases phrasibusque accumulans dat quidem sonum, sed sine mente. *Si quis*, inquit, *causam quærat quamobrem pulchra istiusmodi nugamenta commentus fuerit P. Simonius, nullam profectò aliam invenies, nisi ut excluso Samaritico sua concinnaret Octapla.* Sed cur ineptiens Vossius inutiliter aërem diverberat? Respondeat Simonii rationibus quibus Octapla adstruxit. Pollicitus fuerat ipse Vossius, novam & hactenus inauditam Hexaplorum Origenis dispositionem se demonstraturum: cur igitur promissa sua non exsolvit? Similiter ante annos viginti pollicitus quoque fuit se instauraturum aliquando Versionem LXX. Interpretum, in quam, adulterinis separatis, veterem & genuinam reducet scripturam: sed priùs veniet Elias Talmudicus, quàm promissa sua exsolvat bellus iste LXX. Interpretum Versionis restitutor.

Instat, aitque clara esse Eusebii verba, cùm dicit Origenem sibi comparasse ea Ebraica Exemplaria quæ prototypis Ebræorum descripta essent literis, id est, referente Vossio, Samariticis. Clara quidem sunt & manifesta Eusebii verba: sed quia apertè destruunt commentitia Vossii Hexapla, juvat illa proferre ut extant in Eusebii editionibus. De Origene sic loquitur Eusebius. Τοσαύτη δὲ εἰσήγετο τῷ Ὠριγένει τῶν θείων λόγων ἀπηκριβωμένη ἐξέτασις, ὡς καὶ τὴν Ἑβραΐδα γλῶτταν ἐκμαθεῖν· τάς τε πρὸ

Euseb. Hist Eccles. lib. 6.

παρὰ τοῖς Ἰουδαίοις ἐμφερομένας πεπλοτύπους αὐτοῖς Ἑβραίων στοιχείοις γραφὰς κτῆμα ἴδιον ποιήσασθαι. *Tantum curæ ac diligentiæ in divinorum librorum accurata inquisitione adhibuit Origenes, ut Ebraicam etiam linguam didicerit, & prototypas quæ apud Judæos erant Ebraicis literis Scripturas sibi comparaverit.* Ista Eusebii verba luce meridianâ clariora sunt, atque manifestè ostendunt Origenem in concinnandis suis Hexaplis vel Octaplis, non aliis usum fuisse Codicibus Ebraicis, quàm illis qui tunc circumferebantur apud Judæos. Verùm qui nova facit omnia Vossius, qui novum fecit Aquilam & nova Hexapla, novum jam fingit Eusebium, & sine ullo Codicis manu exarati autoritate sic legenda esse Eusebii verba existimat: Τὰς τε παρὰ τοῖς Ἰουδαίοις ἐμφερομένας πεπλοτύποις αὐτοῖς Ἑβραίων στοιχείοις γραφὰς κτῆμα ἴδιον ποιήσασθαι, quasi sensus sit Origenem illas sibi comparavisse Scripturas quæ prototypis Ebræorum literis essent exaratæ. Prototyparum autem literarum nomine apud Eusebium Samariticos characteres intelligit Vossius. Sed nugas profectò agit, qui ex præsumpta suspicione, ac sine ulla Codicis MSS. autoritate receptam lectionem mutare audeat contra ipsius Eusebii mentem. Non animadvertit Vossius, Eusebium manifestè loqui de characteribus Ebræis quibus tunc uterentur Judæi: quippe dixit παρὰ τοῖς Ἰουδαίοις; minimè verò παρὰ τοῖς Σαμαρείταις. Sic idem Eusebius in Chronico, ubi Judæorum Exemplaria distinguit à Samariticis, vocat Judaicum Exemplar τὸ παρὰ Ἰουδαίοις Ἑβραϊκὸν, *quod apud Judæos est Ebraicum*; Samariticum verò τὸ παρὰ Σαμαρείταις Ἑβραϊκὸν, *quod apud Samaritas est Ebraicum.* Nemo itaque sano præditus judicio existimaverit Eusebium his verbis παρὰ Ἰουδαίοις, Ebraicos Samaritarum Codices denotare voluisse.

Euseb. in Chron.

Pergit dein Vossius verbis pugnare, non rationibus. *Adeone*, inquit, *ineptus fuit Eusebius, ut postquàm dixit Ebræam quoque linguam addidicisse Origenem, tanquam rem magnam addat illum quoque Hebræum sibi comparasse Exemplar ubique inter Judæos obvium?* Non ineptus sanè fuit Eusebius; sed ipse ineptus est Vossius, qui clara Eusebii verba conatur obscurare. Affirmat Eusebius, Origenem non solùm à Judæorum Magistris linguam Ebræam addidicisse; sed etiam Ebraicum illorum Exemplar sibi comparasse, ut illud suis Hexaplis insereret. Quæ verba luce meridianâ clariora sunt. Tunc prisci Ecclesiæ Patres Græcam Aquilæ Interpretationem, quam ille verbum de verbo reddens accuratiùs ex Ebraicis fontibus expresserat, Ebræum Codicem appellabant. Deinde, quando hæc scripsit Eusebius, attendebat etiam ad Ebraica Exemplaria, quæ tunc à plerisque Ebraicè nescientibus Græcis literis expressa legebantur.

Iterum Simonio Vossius objicit, illum de Origene contraria dixisse, quasi Origenes de Ebraico Samaritarum Codice nunquam cogitaverit, qui tamen illi non fuerit ignotus. Sed imponit Vossius Simonio, qui fatetur quidem Ebraicum Samaritarum Codicem non ignotum fuisse Ori-

Origeni; ſed addit, de illo ſuis Hexaplis inſerendo ne per ſomnium quidem unquam Origenem cogitaſſe: cujus rei fidem faciunt jam allata Euſebii verba. Præterea Origenes Judæos habuit præceptores, non verò Samaritas; idemque Origenes de Judæis præceptoribus ſuis, à quibus linguam Ebræam & alia multa didicerit, interdum loquitur, nuſquam verò de Samaritis. Quare ea omnia quæ ibidem ſubjungit Voſſius de Affricano & de prototypis Samaritici literis, vana ſunt, neque quidquam ex ipſis conficiet Voſſius, niſi novum etiam cudat Affricanum. Per me licet ut Affricanus fuerit vir linguæ Syriacæ, Chaldaicæ & Arabicæ peritiſſimus: inde tamen nihil conſequitur quòd Voſſii commentum de prototypis literis & Codice Samaritico Hexaplis Origenis inſerto ſtabiliat.

Affricanum, Origenem, alioſque Patres nomine Codicis Samaritici, è quo nonnulla in ſuos libros tranſtulerunt, intellexiſſe Græcam Ebræi Samaritarum Exemplaris Tralationem, affirmavit Simonius: ſed quia Verſionem hanc Græcam Samaritarum non agnoſcit Voſſius, negat pariter Patres illam conſuluiſſe, putatque Affricanum & Origenem legiſſe ipſummet Codicem Ebraicum Samaritici literis exaratum. Verùm ipſemet Origenes, qui Ebraicè doctus fuit, ſi quando de Samaritarum literis loquatur, non ex illorum libris, ſed ex ipſiſmet Judæis quærit teſtimonia. Sic Cap. 9. Ezech. verſ. 4. ubi in Græcis Codicibus legitur σημεῖον, & in Ebraicis תו, obſervat ſe didiciſſe à quodam Ebræo, ſed qui Chriſtianus factus fuerat, in antiquis characteribus literam Thau cruci ſimilem eſſe. De Samariticis literis loqui Origenem, quas τὰ ἀρχαῖα γραμμάτα appellat, nemo negat. Quî igitur fieri potuit ut dilectus ille Affricani filius (ſic Origenem Voſſius appellat) ab homine Ebræo didicerit quæ eſſet literæ Thau apud Samaritas figura, ſi illorum Codices Samariticis literis deſcriptos habuerit?

Iterum Voſſius imponit Simonio, quaſi ſcripſerit miſerè hallucinatum eſſe Juſtinum Martyrem, qui Verſionem Græcam Aquilæ crediderit ipſum eſſe Ebraicum Exemplar. Verùm hæc ſunt Simonii verba: *Juſtinus Martyr diſputans contra Typhonem Judæum, Græcam Aquilæ Interpretationem donat nomine Contextûs Ebræi*; additque Simonius, Voſſium ad hoc & ad alia ejuſdem rationis plurima non attendiſſe: quomodo enim ad iſta attendere potuiſſet bonus Voſſius, qui in referendis Patrum teſtimoniis ſummam præ ſe fert inſcitiam. Jam non ſolùm Juſtinus, ſed & alii Patres Verſionem Græcam Aquilæ donant nomine Codicis Ebraici; Judæique ipſi priſcis illis Eccleſiæ temporibus qui Græcas noverant literas, non aliter loqui ſolebant in ſuis diſputationibus cum Chriſtianis. Quippe his objicientibus LXX. Interpretum verba, ſæpius reſpondebant aliter eſſe in Ebræo, id eſt, ſecundùm illos, in Græca Verſione Aquilæ. Videat igitur Voſſius, quàm ineptè his verbis ſibi applauſerit, *Nos ſcimus non Juſtinum, ſed Simonium miſerè hallucinari, & non intellexiſſe verba hujus Martyris.* Hallucina-

cinatum fuisse Justinum hac in re nunquam scripsit Simonius; sed Vossium Justini Martyris verba non legisse, adeoque mirum non esse si tam fœdè erraverit.

Nunc ad solitas relabitur ineptias Vossius, scribitque Simonium ista omnia commentum fuisse, ut evinceret Hexapla non à sex appellata fuisse Versionibus; sed ea verè fuisse Octapla, & sic dicta fuisse ab octo columnis. Nihil hac in re commentus est Simonius, qui Eusebium, Epiphanium ac Ruffinum oculatos testes secutus fuerit: sed ipse potiùs nova commentus est Hexapla Vossius, quæ Samariticum etiam Exemplar continerent. Quod verò Hexapla à sex columnellis sic dicta fuisse existimet Simonius, non illud commentus est; sed à Ruffino teste oculato accepit, qui scribit Origenem *in propriis paginis sive columnellis editiones singulas descripsisse*. Jam cùm fuerint in illis Origenis Exemplaribus octo columnæ sive paginæ, ex his columnis sive paginis sua Octapla rectè confecit Simonius.

Ruffinus.

De eo autem quod ait Vossius, Simonium semper paginas illas vocare columnellas, non columellas, fileo; quia utrumque Latinum est, neque judicavit hac in re castigandum esse Ruffinum qui columnellas dixit, vel, ut quibusdam placet, columnulas. Sed cùm disertulum Vossium deficiant rationes, de verbis disputat. Supponamus etiam cum Vossio, Hexapla sic dicta fuisse à Versionibus, non à columnis; quid inde concludet adversus Simonii Octapla, si constet Codicem Ebræum literis Ebraicis in prima columna, & eumdem Græcis literis in secunda columna expressum fuisse? quæ duæ columnæ, si Hexaplis sive sex Versionibus addantur, haud dubiè Octapla efficient. Sive igitur Hexapla à sex Versionibus, sive à sex columnis sic dicta fuerint, perinde est; quia Versio quælibet columnam unam occupabat. Præterea Codex Ebræus tanquam ἔδαφος seu fundamentum, Ebraicis & Græcis literis descriptus in duabus columnis continebatur, fateturque ipse Vossius, Origenem priores columnas appellasse τὸ Ἑβραϊκὸν ἔδαφος, tanquam fundamentum omnium Versionum. Itaque necesse est Vossium etiam invitum recipere Petavii Jesuitæ doctissimi schemata, in quibus Tetraplorum, Hexaplorum & Octaplorum dispositionem rectè exhibuit. Etsi enim Ebræus Codex Ebraicis & Græcis literis expressus non venerit in censum Versionum, venit tamen in censum editionum, quas in propriis paginis sive columnellis descriptas fuisse affirmat Ruffinus; quæ cùm octo fuerint, ex his necessariò Octapla confecta sunt.

Jam quis non miretur Vossium, postquam errores erroribus accumulavit, suis verbis sibi applaudentem? *Longè rectiùs fecerit P. Simonius, si missis tot errorum ambagibus, desinat vexare antiquorum Patrum scripta, illosque admittat sensus qui primo statim sese offerunt aspectu.* Egregius sanè declamator est Vossius, qui non Simonium his verbis, sed seipsum ingeniumque suum graphicè depinxit. Eusebii siquidem verba, eo modo quo in omnibus editionibus leguntur exponunturque ab Inter-

pretibus, attulit Simonius. Contrà Voſſius Euſebii verba ſine ullius Codicis manu exarati autoritate mutare auſus eſt, eaque explicare contra manifeſtum ipſius Euſebii ſenſum.

Ab Euſebii Hiſtoria ad illius Chronicum provocaverat Voſſius: at oſtendit Simonius, neque etiam Euſebii Chronicum illi favere, idque demonſtravit allatis Chronici Euſebiani verbis. Jam quid ad hæc Voſſius? Nunc provocat ad Syncellum, aitque Simonium decurtata Affricani verba è Chronico Euſebii produxiſſe. An Affricani verba decurtaverit Euſebius in Chronico ignoro: ſcio tamen Chronici illius verba, ad quæ Simonium Voſſius remiſerat, ipſi eſſe manifeſtè contraria.

Sed pergit Voſſius. Syncellum debuit conſulere Simonius, quem non videtur legiſſe. Simonio difficile non fuit legere Syncellum, qui in omnium manibus verſatur Græcè & Latinè editus: eum quidem legit ac perlegit, neque in eo quidquam deprehendit quod Voſſii commento de Hexaplis faveat, niſi novum ipſe Voſſius cudat Syncellum, ſicut novum finxit Euſebium.

Georgius Syncellus.

Jam ut de Syncello etiam aliquid dicam; ille referens Chronologiam ex Codice Samaritarum, teſtatur ſe illam ex Euſebio ſumpſiſſe, & illius exemplo Samariticum Codicem appellat τὸ κατὰ Σαμαρείτας Ἑβραικόν. Addit Judæos etiam fateri Codicem Samariticum verum eſſe & primigenium, deſcriptumque literis quæ à Judaicis diſcrepent, Ἀρχαιότατον καὶ τοῖς χαρακτῆρι ἀκριβέστατον, ὃ καὶ ἀληθὲς εἶναι καὶ πρῶτον Ἑβραίοις καθομολογεῖσθαι. Jam nemo ſanus præditus judicio ex his verbis & ſimilibus conficiat Affricanum & Origenem Codices Samariticos literis Samariticis expreſſos conſuluiſſe, & hunc illos in ſua Hexapla conjeciſſe. Sed indicavit tantùm Georgius Syncellus, Samaritas uti Codicibus Ebraicis veris ac primigeniis, non ſecus ac Judæos; quod didiciſſe videntur Affricanus, Origenes & Euſebius ab ipſis Judæis, ut & ipſa Syncelli verba innuunt, non lectis tamen ipſis Codicibus Samaritarum Samariticis characteribus expreſſis; quo etiam modo ipſe Voſſius Codicis Ebraici Samaritarum mentionem interdum facit, quem tamen nunquam legiſſe videtur, adeo turpiter errat in referendis illius verbis, Latinâ ejuſdem Codicis Verſione deceptus. Præterea Origenes, uti jam ſupra annotatum fuit, nihil de figura literæ Thau apud Samaritas pronunciat, niſi ex relatione Judæorum. Quando igitur Affricanus, Origenes & Euſebius laudant Samaritarum Codices, laudant tantùm Græcam Samaritici Exemplaris Verſionem, quæ à Samaritis ipſis ex Ebræo condita fuerat. Simili ratione, quando Patres Syrum laudant Interpretem, Græca tantùm Syriacæ Verſionis laudant Exemplaria, non autem ipſamet Syriaca Syriacis expreſſa literis. Sed ad hæc & alia ejuſdem generis plurima nunquam advertit bonus Voſſius: ſatis illi fuit quaſi ex ſuggeſtu declamare, & in eos qui non idem, quod ipſe, ſentiebant, caninam ſuam eloquentiam promere. Jam Voſſio triumphanti applaudant Magiſtelli illi quos ipſe aſellos & ſtupidos appellat,

pellat: nemo enim verè doctus unquam ipsi applaudet.

His præterea addit Vossius, Simonium dixisse Aquilam ad amussim Ebraica reddidisse; quod nemo unquam Christianus dixit. At de Aquila nihil Simonius dixit, quod non jam antea ab Origene, Eusebio, Hieronymo & aliis Patribus dictum fuerit, qui animadverterunt Aquilam κυριώτερον & κατ' ἀκρίβειαν Sacros Codices transtulisse. Idemque Simonius ostendit quomodo etiam κακοζηλίαν istius Interpretis à Patribus damnata fuerit; adeoque de Aquila nihil dixit Simonius quod ab ipsis Patribus non hauserit.

Non capit etiam Vossius quomodo Origenes, referente Simonio, Hexaplorum opus sub unam repræsentaverit lineam, cùm opus dextrâ siniſtrâ, sursum deorsum penè infinitis constaret lineis; atque Simonio autor est ut plerasque istas de Hexaplis & Tetraplis observationes mittat in crucem. Verùm mirificus iste homo aurem profectò habet Batavam, qui ea non capiat, quæ tam clara & manifesta sunt. Opus Hexaplorum sub una fuisse linea dicitur à Simonio, quia singulæ editiones, quæ in propriis paginis sive columnellis, ut loquitur Ruffinus, descriptæ erant, sibi invicem ita erant oppositæ, ut στίχοι στίχοις, sive lineæ lineis, versiculi versiculis respondèrent, ut faciliori negotio committerentur. Autor verò sim facetissimo Vossio, ut lectâ hâc Hieronymi à Sancta Fide responsione, seipsum cum novis suis Hexaplis mittat in crucem, sicque cum illis faciat I longum.

Transit posteà Vossius ad ea quæ Simonius in illius scripto de Sibyllinis Oraculis castigaverat. Miratur quòd cùm Simonius tam malè se defendat, alienæ tamen opem ferat nequitiæ, & patrocinetur nebuloni, sic enim virum Ebraicè doctum appellat maledicentissimus Vossius, qui solet, cùm nihil habet quod reponat, maledictis pugnare. Sed ad rem ipsam venio. Agitur de verbis Hieronymi, quæ Theologus ille ex Quæstionibus doctissimi illius Patris in Genesim produxerat, quæque ab eo nequissimè perversa contendit Vossius, qui putat pro *appungunt*, ut in libris editis habetur, legendum esse *apponunt*, ut in quibusdam Exemplaribus MSS. se legisse testatur. Ob hanc causam clamitat Vossius, aitque hominem istum fatuum esse, Semirabbinum & insignem nebulonem, qui verba Hieronymi perverterit. Jam absit à Simonio ut bonum Vossium falsificum appellaverit; sed eum monuit amico animo, ut sibi caveret ne ipse à Semirabbinis istis in jus vocaretur tanquam falsificus, qui verba Hieronymi à se minimè intellecta perverteret. Contendit itaque Simonius, in verbis Hieronymi legendum esse *appungunt*, uti legit nebulo iste Vossianus cum Erasmi & Marii Victorini editionibus, qui longè plures Codices MSS. Hieronymi versarunt, quàm ipse Vossius, maximè cùm, si legatur *apponunt*, verba Hieronymi vix ullum sensum admittant.

Jam quid ad hæc Vossius? Opponit nonnullos Codices manu exaratos, in quibus constanter legerit *apponunt*. Objicit præterea Simonio,

eum nulla unquam inſpexiſſe Exemplaria Hieronymi manu exarata. Sic miris modis ſibi applaudit Voſſius, etiam cùm ineptit. Sciat igitur Voſſius, Simonium complures evolviſſe Hieronymi Codices MSS. ſed ferè nullos inveniſſe qui bonæ notæ fuerint, etſi magnam præ ſe ferrent antiquitatem: cùm enim Hieronymus Græcis Ebraiciſque vocibus abundet, multaque ſint in eo reconditæ eruditionis, hinc factum fuit ut ſcribæ in deſcribendis Hieronymi operibus ſæpè lapſi fuerint. Sic in loco de quo agitur, præter vulgatam lectionem *appungunt*, Exemplaria manu exarata quæ legit Simonius, duas alias lectiones exhibent, nimirum *apponunt* & *adjungunt*. In omnibus tamen Codicibus MSS. conſtanter ſe legiſſe *apponunt*, teſtatur Voſſius. In hac lectionis varietate quid faciat Criticus ut veram lectionem ſeligat? Attendit ad materiam quam iſto loco tractat Hieronymus, & quia illa Rabbinica eſt, vetuſtos recentioreſque Rabbinos conſulit. Tunc in illis omnibus deprehendit eamdem quæ in Hieronymo legitur annotationem, ſcilicet in dictione בקומה appingendum eſſe punctum deſuper. Inde conficit in Hieronymo legendum eſſe *appungunt*, non verò *apponunt*, neque *adjungunt*. Sed quia Voſſius argumentum Rabbinicum quod ibi tractat Hieronymus ignorat, mirum non eſt ſi monſtroſam lectionem in Hieronymi Codicem invexerit, perverteritque doctiſſimi illius Patris ſenſum.

Geneſ. 29: 33.

Clara itaque ſunt & aperta quæ hîc obſervavit Hieronymus, eademque omnino atque illa quæ dudum Judæi ex paterna Traditione in ſuis Codicibus retinent. Unde annotavit Maſora, hoc punctum locis quindecim in libris Moſis occurrere. Ea verò quæ iterum adjecit Voſſius ut pravam lectionem defenderet, inepta ſunt & abſurda. Benè igitur Simonius monuerat Voſſium, ut priùs tranſiret in caſtra Semirabbinorum, quàm de illorum rebus parum ſibi cognitis judicium ferret. De punctis enim quæ vocant irregularia, agi hoc loco, nemo ſani judicii negaverit. At Voſſius rogat Simonium, ut explicet ſenſum verborum Hieronymi, prout ab iſto nebulone depravata ſunt, qui non dubitavit affirmare, Hieronymum ibi mentionem feciſſe punctorum regularium. Verùm de eo quod ex verbis Hieronymi concludit Voſſianus iſte nebulo, nunquam diſputavit Simonius, qui ſciat Judæos & Hebraiſtas non minùs quàm Voſſium ineptire; ſed de genuina verborum Hieronymi lectione litem ſolùm intendit, quam putat ſe demonſtraſſe. Ipſe quoque eodem loco animadvertit irregularia ejuſmodi puncta nihil prorſus facere pro tuendis punctis regularibus, quæ conſtat Hieronymo eſſe poſteriora.

Simonius riſerat Voſſium, qui de Rabbinis ipſe nequidem Semirabbinus judicium ferre auſus fuerit. Nunc factus Rabbiniſta enſem Rabbinicum diſtringit & aërem diverberat. Carpit Simonium, qui innixus autoritate Saadiæ Gaonis, probaverit non à ſexcentis, ſed à nongentis annis uſurpata fuiſſe à Judæis puncta vocalia. Regerit Saadiam floruiſſe ante annos 756. quæ ſumma multùm

tùm abest à nongentis. Recta quidem est boni Vossii computatio, sed inepta illius ratiocinatio : hæc enim sunt verba Simonii. *R. Saadias Gaon librum scripsit de re Grammatica sub annum* 900. *in quo de punctis vocalibus, quæ longè ante illius tempora apud Judæos in usu fuerant, disputat.* Si igitur primus punctorum repertor non fuerit ille Saadias, sed ea tantùm collegerit quæ dudum à suis patribus edita fuerant, facile erit nongentorum annorum summam attingere.

Jam liberalior factus bonus Vossius ait, *Libenter dederim istoc tempore innotuisse puncta Rabbinis*; (hoc tamen antea negaverat) verùm addit id non esse quod quæritur, sed quando puncta vocalia Scripturis apponi cœperint. Petit igitur à Simonio, ut ostendat aut indicet unum tantæ vetustatis Exemplar cui apposita fuerint puncta. Deinde ait se in sola Christinæ Suedorum Reginæ Bibliotheca plures quàm septingentos numeravisse Codices Ebraicos manu exaratos. Rectè dixit se tot Codices numerasse; quâ etiam ratione libros suos numerare solent Bibliopolæ, non legere. In tanta autem libraria suppellectili, referente Vossio, nullus comparebat Codex Ebraicus quadringentis, aut utplurimum quingentis vetustior annis cui puncta adscriberentur vocalia, uno excepto, qui contineret quidem vocales, sed alio annotatas atramento. Neque sanè id mirum videbitur iis qui sciunt non comparere hodie Codices apud Judæos qui ante quingentos vel sexcentos annos descripti fuerint. Denique his subjungit Vossius, libros illos magna ex parte ad illustrissimi Colberti Bibliothecam migrasse, certumque se esse, si qui ad illam se conferant, facilè sibi ipsi assensuros, dummodo in tractandis membranis non rudes & parum exercitati fuerint. Ne autem bono Vossio desint plausores, sibi primus applaudit, aitque, *Accipiat hæc P. Simonius quomodocunque placuerit, rideat, indignetur, faciat quidquid velit.* Miror profectò belli istius Critici audaciam, qui tamen non aliam habeat librorum Ebraicorum cognitionem, quàm illam quam habere soleant Bibliopolæ. Verùm singula ista excutiamus.

Non tot quidem Codices Ebraicos numeravit Simonius, sed longè plures legit quàm Vossius, ad eosque animum advertit, ne magis Bibliopola videretur quàm Criticus. De hoc enim argumento & expensis à se Codicibus Ebraicis manu exaratis scripsit ante annos septemdecim sapientissimo Magistro Claudio Cappellano Doctori & Socio Sorbonico, editaque est illius Epistola, in qua demonstrat vetustos Judæorum Codices sine punctis vocalibus plerosque descriptos fuisse, in quos postea puncta illa vocalia à Judæis ipsis invecta fuerint, multisque locis castigatos fuisse, ut illi cum Masorethicis perfectè consentirent, erasis scilicet literis Vau & Jod quæ ipsis videbantur superfluæ. Tunc Simonius Ebraica Judæorum Exemplaria MSS. non numerabat, sicuti Vossius, sed expendebat. Jam nihil ex his potest confici quod Vossii sententiæ faveat, quia constat, ut rectè à Simonio observatum fuit, etiam hodie multa supereſse monumenta, quæ ostendent jam ab illa ætate, de qua

lis mota est, Sacri Codicis verba à Judæis cum punctis vocalibus lecta fuisse, etsi puncta illa rarò Codicibus adjicerentur, non solùm quia difficile erat & laboriosum tot minutias describere; sed & quia ista Exemplaria sic descripta à perpaucis hominibus comparari poterant. Illa autem quæ supersunt monumenta, & ex quibus patet jam ab illa ætate lectum fuisse cum punctis vocalibus Ebraicum Codicem, sunt Rabbinorum libri, maximèque Grammaticorum, qui in suis libris voces Contextûs Biblici punctis vocalibus notatas referunt, iidemque, si quæ sit lectionis diversitas circa illas vocales, ex Codicibus antiquis illam sedulò annotant. In Bibliis quoque manu exaratis interdum ad marginem referuntur lectiones Codicis Rabbi Hillelis circa vocales. Scio quidem non tantam Hilleli tribuendam esse antiquitatem, quantam illi vulgò tribuunt Judæi & plerique Ebraistæ, ut firmissimis rationibus probavit ipse Simonius: verùm constat illum vixisse saltem ante annos quingentos, ut ex Rabbinis qui eum laudant, demonstrare facile est. R. Davidis Kimhi Lexicon Scripturæ Sacræ voces punctis notatas exhibet, & aliquas varietates lectionis circa vocales complectitur ex vetustioribus Codicibus MSS. desumptas. Quid dicam de Rabbinorum Judæ & Jonæ Lexicis sermone Arabico conscriptis, in quibus eadem licet animadvertere? Rabbi autem Judam ante sexcentos annos vixisse non diffitetur Vossius. Sileo de Saadia Gaone, qui etiam, teste Vossio, ante annos 756. floruit; cùm ante illius tempora ipsi Masoretæ, qui plures fuerunt, Codices habuerint punctis vocalibus notatos, ad quorum Exemplarium lectionem R. Menahem de Lonzano & alii Judæi Critici cæteros Codices castigandos esse existimant.

Argumentum autem quod sumit Vossius à Græcis qui habuerint accentus ante bis mille annos, cùm tamen nullus inveniatur Codex Græcus accentibus notatus qui non mille annis sit recentior, nihil omnino facit ad rem; quia de Ebraicis, non de Græcis, disputamus: Ebraica autem ex libris Judæorum, non Græcorum, petenda sunt. Tamen difficile non fuerit ostendere etiam hodie Codices Græcos extare, qui ante annos mille accentibus notati fuerint. Sed non placet in ea excurrere quæ sunt à proposito aliena. Quare etiam de tempore, quo Alcorani Exemplaria punctis vocalibus notari cœperint, sileo; cùm de libris Judæorum in præsentia tantùm agatur. His id unum addam; Vossium rudem planè esse & in tractandis Judæorum membranis parùm exercitatum, qui testimonio Menasse Ben Israël & aliorum duorum Rabbinorum probet, in Exemplari Ebraico Reginæ Suedorum vocales alio atramento notatas fuisse. Frustra quærit horum Rabbinorum auxilium Vossius, qui si rei criticæ peritus fuisset, ex ipsismet Judæorum Codicibus facili negotio probasset, alios sæpe scribas esse qui Codices exarent; alios qui puncta vocalia illis adjiciant, uti judicare licet ex literis Vau, Jod & similibus, quæ erasæ sunt ab iis qui vocales addunt Exemplaribus, uti leguntur in Masorethicis Codicibus.

Inter-

Interdum etiam in fine Codicum leguntur eorum nomina qui Exemplaria deſcripſerint, & illorum qui vocales in eadem Exemplaria invexerint, notatis etiam interdum ſcriptionis temporibus. Sed Voſſius, qui Codices tantùm numeravit, non legit, iſta & alia bene multa quæ ad Judæorum Criticam pertinent ignorat.

Iterum objicit, Simonium cavillari, ſuaque verba pervertiſſe, ac ſi puncta Ebræorum ex Bombergi officina primùm prodiiſſe ſcripſerit. Non cavillatur Simonius; ſed ipſum pudet Voſſium tot ineptias commentum fuiſſe, quas in Simonii poſtea cavillationes rejicere conetur. Hæc enim ipſa ſunt Voſſii verba in Epiſtola quæ illius Opuſculo de Sibyllinis Oraculis præmittitur. *Vocales ſeu puncta quæ primùm Venetiis ex Bombergi officina in lucem prodierunt, illa ipſa ſunt quæ Chriſtiani Rabbiniſtæ tanquam cœlitus delapſa ſuſpiciunt.* Illi tamen Chriſtiani Rabbiniſtæ diu ante Bombergianas Bibliorum editiones legebant Biblia punctis vocalibus & accentibus notata, qualia prodierunt Brixiæ anno 1494. Quia verò in fingendis commentis totus eſt Voſſius, fingit etiam Judæos per integra tria vel quatuor ſecula inter ſe conflixiſſe, dum alii ſic, alii aliter inducendas eſſe vocales contenderunt, donec tandem Bombergus litem iſtam diremiſſet. Sed quæſierim à bono Voſſio, an novam habeat Bibliothecam Rabbinicam, unde ingentem illum Rabbinorum conflictum hauſerit.

Voſſ. in Epiſt. ad Thom. Brun.

Pergit nugari Voſſius, probatque Bombergum verè dilapidaſſe patrimonium ſuum in alendis aliquot Judæorum centuriis. *Rideat*, inquit, *Simonius iſtas ædes (Bombergi) perinde ac ædiculas LXX. Interpretum in Pharo: temperaſſet tamen ab inepto riſu, ſi Leonem Juda Mutinenſem hæc coram referentem audiſſet.* Riſit quidem Simonius, iterumque ridet, non quidem Bombergi ædes, ſed Iſaaci Voſſii nugas, qui tot ineptias referat. Bombergum autem dilapidaſſe patrimonium non negavit Simonius; ſed ineptienti Voſſio reſpondit, illud non facere ad inſtitutum, nec poſſe afferri niſi ab homine qui ineptias ineptiis accumulet: hæc enim ſunt verba Simonii. *Utrum in alendis Judæorum quos conduxerat Bombergus centuriis patrimonium dilapidaverit, uti contendit Voſſius, non anquiro, neque de hoc nunc agitur negotio.* Cur igitur eadem regerit Voſſius, quæ non eſſe ad rem jam objecit Simonius? Rem autem ita ſe habere probat iterum ex nugatorio libello qui ſub Scaligeranorum titulo editus eſt, ex quo hæc refert bonus Voſſius. *Bombergue qui étoit d'Anvers, & duquel le fils eſt venu à Veniſe, & là a tout conſommé ſon bien, a ſi bien imprimé les Livres Hebreux. Les Juifs corrigeoient & præſidebant à l'imprimerie. Il a imprimé des Livres pour plus de quatre millions d'or.* Sed iſta quàm appoſitè allata fuerint videat ipſe Voſſius; niſi quòd tam ingenti pecuniæ ſummæ inhiet, quia Bombergum inter ſuos progenitores numeret. Si quis igitur velit cauſam ſcire cur Voſſius Judæos & eorum ſequaces tot maledictis laceſſiverit, hanc accipiat. Verpi illi pingue Bombergi progenitoris ſui patrimonium conſumpſe-

sumpserunt. Dignus sanè miseratione est bonus Vossius, cujus patrimonium ita amplum Judæi dilapidaverint.

Jam ad Ignatii locum, qui sumptus fuit ex illius Epistola ad Philadelphenses, venio, ex quo posse ostendi tempus quo primùm Ebraici Codices corrumpi cœperint, Vossius existimat. Sed quàm fœdè etiam in hoc à Vossio erratum fuerit demonstraverat Simonius, ipsius Ignatii mentem verbis illius claris & apertis explicans. Nunc Vossius Ignatii sensum conatur obscurare. Miratur Simonii supinitatem, qui cùm se Criticum profiteatur, spurii Ignatii verba adduxerit; affertque Vossius ipsa Ignatii verba, ut concipiuntur in Codice Florentino, nec quidquam in illis mutandum esse affirmat. Sed quàm feliciter hoc negotium illi succedat, juvat expendere.

Ignatius Martyr.

Simonius Ignatii verba non quidem omnino ut extant in Florentino Codice, qui manifestè hoc loco corruptus est & obscurus, protulit; sed ex interpolato Codice, qui isto loco interpolatus non est, imò simplicior est Florentino, & vetustam lectionem magis referens. Interpolatum enim Epistolarum Ignatii Codicem in omnibus interpolatum esse nemo dixerit, ne quidem ipse Vossius. Existimavit igitur Simonius, hîc Florentinum Codicem, qui multum præ se fert obscuritatis, corrigendum esse ex alio Codice qui simplicior est, cujusque verba clara sunt; cùm ipse Vossius hoc ipso loco legendum putet ἀρχαίοις, ut habet Codex interpolatus, non verò ἀρχείοις, ut extat in Codice Florentino. *Melior est,* inquit Vossius, *lectio Pseudo-Ignatii,* *quam & sequentia videntur approbare.* Licuit igitur Simonio sequi Pseudo-Ignatii lectionem, ubi constat illum interpolatum non esse, melioremque sensum quàm Codex Florentinus efficit. Rem ita esse apertè demonstrat ipsius Vossii explicatio, qui miris modis se contorquet, ut Ignatii verba exponat prout concipiuntur in Florentino Codice, neque aliud reperit effugium, quàm fingere Græcæ LXX. Interpretum Versioni in iis voluminibus quæ in Alexandrinam Bibliothecam relata fuerant, accessisse quoque verba Ebraica, ad quæ hoc loco respexerit Ignatius, quia, referente Vossio, similia Exemplaria tunc in Synagogis legebantur. De hac Bibliorum dispositione cogitavit Ignatius, si Vossio, qui oculatissimus est, fidem habeamus. Sed pudet tot ineptias referre, quæ nihil prorsus faciant ad expiscandam Ignatii mentem, cujus verba clara & manifesta sunt secundùm lectionem & expositionem Simonii.

Voss. Not. in Epist. Ignat.

Ad alia commenta transit Vossius, qui multùm se torquet, ut illud quod Judæis tribuit, quasi Messiam peregrinum fore seu proselytum ipsi credant, explicet. Rogaverat eum Simonius, ex quo Sibyllino oraculo hausisset Judæos credere Messiam fore peregrinum: & quia eum puduit tantam ineptiam effutiisse, nunc quærit effugium. Ait Ægyptiacæ servitutis tempore omnes Judæos fuisse peregrinos ac proselytos; eos quoque nunc toto orbe dispersos esse peregrinos: unde concludit, cùm Judæi hoc tempore ubique sint peregrini, necessùm quoque esse talem fore Messiam, scilicet *proselytum, sed non* *prose-*

proselytum proselytorum. Si valeant ejusmodi argutiolæ, simili ratione concluserim Vossium ineptum esse, sed non ineptum ineptorum. Cur enim mirificus iste ratiocinator latebras quærit & effugia? Hic agitur de Messia qui Judæus ex Judæo nasciturus sit, quique futurus est, ex Judæorum consensu, natione & ritibus Judæus. Ut enim lepida sua commenta de Æra & Hegira stabiliret, probare conatus est ex Herodianorum Secta Herodem primum fuisse qui inter Judæos pro Christo fuerit habitus. *Nempe*, inquit, *verba illa, Non deficiet Princeps è Juda, neque Dux de femoribus ejus, &c. ita accepere (Herodiani) ac si cessante Principe è stirpe Judæ, necesse foret ut Messias proselytus aut alienigena esse debeat.* Ista Vossii verba clara sunt & manifesta, fingitque Herodianorum Sectam, quæ forsan nulla unquam fuit, nunquam defecisse, sed revixisse apud Judæos, præsertim in Hispania. Sed per me licet ut commentis suis gaudeat bonus Vossius, nugisque chartas suas impleat, quales sunt, quas mox subjungit, fabellæ, quas à Menasse Ben Israël & Judæis Poloniæ acceperat. De eo autem quod mox addit, vocem Hegiram æquè Ebraicam esse atque Arabicam, fileo, donec illud probet ex novo Lexico quod novas potestates nominibus Ebraicis tribuat.

Carpit dein Simonium, qui objecerit Vossium locupletare voluisse Scripturæ Canonem novis Prophetis. At Simonius hac in re non imposuit Vossio, qui docet Sibyllinos aliosque ejusdem generis libros ex antiquo Scripturæ Canone sublatos fuisse. *Haud sanè*, inquit Vossius, *parum utilitatis Christianæ accederet Religioni, si etiamnum supersessent scripta illa apocrypha quæ Veteris Testamenti olim conjungebantur libris, cùm & approbata fuerint à Judæis antequàm essent Christiani, & lecta in primitiva Ecclesia, & commendata à Paulo & Apostolis.* Sic bonus Vossius autoritate primitivæ Ecclesiæ tuetur nugatorum impostorumque scripta, qui sub mentitis nominibus Patriarcharum, Prophetarum, ac virorum magnæ existimationis apud Gentiles nominibus, libros Adami, Enochi, Abrahami, Moysis, Esajæ, Hieremiæ, Hystaspis, Mercurii Trismegisti, Zoroastris, diversi generis Sibyllarum, Orphei, Phocyllidæ, aliorumque similium, in lucem protulerunt. Felix sanè est Ecclesia Anglicana, quæ à dilecto filio suo Isaaco Vossio ætate nostrâ aucta fuerit tot Prophetis ac Prophetidibus, habeatque nunc unde longam sanctorum Prophetarum, Patriarcharum, Doctorum, Virginum & Viduarum Litaniam contexat, quæ Liturgiæ suæ inseratur.

Ferre non potest Vossius, se cum Postello homine non satis sani sincipitis commissum fuisse. An sani sincipitis Postellus fuerit ignoro: sed scio ovum ovo similius non esse, quàm Postello similis est Vossius in eo de quo agitur argumento. Quod autem Simonius dixit, Postellum adhuc Vossio oculatiorem fuisse, illud non ista accipi debet ac si magis desipuerit Postellus, uti Vossius existimare videtur; sed quia Postellus majorem nugamentis suis probabilitatem conciliet, quàm ipse Vossius. Ille enim

nugatorum istorum Prophetiam à priscis temporibus arcessit, quando in mundo erant Prophetæ; at minùs oculatus Vossius Prophetas commentus est, quando jam apud Judæos desierant Prophetæ. Sic Adami, Enochi ac Sibyllarum libros autor est Vossius à Judæis toto orbe dispersis compositos fuisse, Deo impellente ipsorum mentes; negat tamen ipsos esse antiquiores diluvio. At cur id negaverit non video, cùm ipse affirmaverit in diluvio universam terram inundatam non fuisse.

Voss. de Sibyll. Orac. cap. 7.

Jam Guillelmum Postellum audiamus Isaaco Vossio longè oculatiorem. Ille asserit apud Brahmanes *latere infinitos historiarum & librorum antediluvianorum thesauros, quos nos expectare una cum Enochianis opus est.* Ne quis autem libros illos antediluvianos in dubium revocet, addit, Scripturam Sacram fuisse ante diluvium manifestè probari ex Sabbathæ nurûs Ogygis libris ab ipsa conscriptis. Hæc autem Sabbatha, referente eodem Postello, fuit Sibylla Babylonia, quam etiam inter suas Prophetides Vossius recensuit.

Guillel. Postell. lib. de Origin.

Eodem etiam loco narrat oculatissimus Postellus ejusmodi librorum historiam; quomodo scilicet ab Adamo ad Enochum, qui primus illos conscripsit, dein ab Enocho ad Noachum, & ab hoc ad alios venerint. Scholas præterea idem Postellus recenset, in quibus secretiores illæ disciplinæ, quæ in Sibyllarum aliorumque Vossii Prophetarum libris extant, traditæ fuerint. Unam scilicet Scholam Noachus ad ilicem Ogyn è regione Mamre instituit; alteram Japhetus in Armenia, cui præfecit Sabbathium Sagam. Ex hac Postelli historia, quæ clara & manifesta est, apertè refellitur Vossii sententia, qui existimat libros istos Propheticos à Judæis sub Patriarcharum & Prophetarum suorum nominibus compositos fuisse, *vergentibus ad finem Danielis hebdomadis.*

Jam Vossius, quem Simonius dixerat tanto stipatum Prophetarum agmine brevi fusurum vaticinia, in Prophetam transformatus ex tripode pronunciat, *Simonium, nisi stilum vertat, solis semper placiturum semidoctis.* Sed ego, qui non sum vates neque Propheta, ausim affirmare, Vossium ne quidem semidoctis placere, sed fucum facere simplicioribus.

Pergit dein Vossius pugnare verbis, objicitque Simonium multa congessisse de Apocryphis & millies dicta; eorum verò quæ ad rem pertineant cavisse sibi quàm diligentissimè. Nova quidem non commentus fuit Simonius Vossii exemplo; sed ea tantùm attulit quæ ad institutum facerent. Cùm enim Apocryphorum voce usus fuerit Vossius, ut nugamenta sua stabiliret, necesse fuit Simonium ostendere quid vox ista tam apud Ecclesiæ Patres, quàm apud ætatis nostræ Doctores significet. At regerit Vossius, quæstionem esse, quâ ratione Libri Sacri reconditi, cùm priùs Apocryphi dicerentur, postea factum sit ut hæc vox in pravam detorta fuerit significationem, & Libri Apocryphi habiti fuerint pro spuriis & dubiæ fidei libris: ac demum colligit Judæos fuisse qui novam vocis istius expositionem fabricarint, eo nempe consilio,

filio, ut destruerent autoritatem librorum qui Vetus Testamentum cum Euangeliis connectunt, & simul illorum in quibus adventus Christi clariùs quàm ab antiquis annuntiaretur.

Jam oculatissimus factus est bonus Vossius, ipsisque primitivæ Ecclesiæ Patribus sapientior, cui ob id inprimis displicet vox *Apocryphorum*, quæ in malam quoque partem à priscis illis Patribus interdum sumitur, quòd hâc voce nugatores illi, quos in veros Prophetas transformavit, Prophetarum albo expungantur. Ambiguum esse nomen Apocryphi dixit Simonius, quod in sua origine reconditum significat; sumique à Patribus modò in bonam, modò in malam partem. Sive autem Aquila, sive Judæi primi illud in malam partem acceperint, nihil planè illud facit ad institutum, cùm à priscis quoque Ecclesiæ Patribus in malam partem acceptum fuerit. Sed quis inde conficiat, Judæos hanc vocem fabricasse, ut destruerent autoritatem librorum qui Vetus Testamentum cum Euangeliis connectunt? Nihil simile unquam prævideruntPatres, quibus omnibus oculatior est Vossius, qui *cor solus habet, solus & ingenium*; ingenium scilicet Propheticum, quod videt ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt, & quo impellente judicavit novos suos Prophetas dignos esse qui cum aliis Prophetis inter Scripturæ Sacræ libros recenserentur. Ista sunt quæ meritò ineptias appellavit Simonius, quæ ab Ariosti nugamentis minùs abessent. Rectè igitur quæsierat à Vossio, sicut & à nugatore Ariosto Cardinalis Hippolytus Atestensis, *Dove haveva pigliate tante coglionerie?* Satis verniliter, reponit Vossius, sed loco non satis convenienti. Pronunciatum tamen hoc est illustrissimi Cardinalis, majoresque sunt Vossii ineptiæ, qui tot Prophetas nugatores commentus sit, quàm Ariosti, cui, quia erat Poëta, licuit fingere nugatores. Jam facetissimus Vossius Simonio autor est, ut nomen illud *Coglionerie* ad frontes & titulos suorum transferat librorum. Benè quidem Vossius monet Simonium, qui libris quos posthac adversus Vossium editurus est, hæc verba literis sesquipedalibus exarata præmittet,

LE COGLIONERIE DI MESSER VOSSIO, GRAN COGLIONATORE DE' LETTERATI.

Transit ad alia Vossius. Quærit à Simonio, cur velit Scribas, qui res Ebræorum chartis committebant, & plerosque magni Synedrii Assessores, Prophetas fuisse, & à Spiritu Sancto afflatos; neget verò tales fuisse LXX. Interpretes? Manifesta est discriminis illius ratio: nemo enim Christianus negat Sacros Libros à Prophetis scriptos fuisse & à viris Spiritu Sancto afflatis: sed Interpretum longè alia est ratio quàm Scriptorum. Semper autem apud Judæos extitisse Prophetas qui res ætatis suæ chartis committerent, docet manifestè Josephus, qui affirmat singula quidem apud gentem suam à temporibus Artaxerxis usque ad suam ætatem scriptis comprehensa fuisse: sed *Joseph. adv. Appion.*

illa parem cum prioribus non mereri fidem; quia ab illis temporibus non fuit certa, ut priscis illis temporibus, Prophetarum successio.

Joseph. adv. Appion. Ἀπὸ δὲ Ἀρταξέρξου μέχρι τοῦ καθ' ἡμᾶς χρόνου γέγραπται μὲν ἕκαστα· πίστεως δὲ οὐχ ὁμοίας ἠξίωται τοῖς πρὸ ἑαυτῶν, διὰ τὸ μὴ γενέσθαι τὴν τῶν Προφητῶν ἀκριβῆ διαδοχήν. Illa igitur Prophetarum successio, teste Josepho, à Mose usque ad Artaxerxis tempora extitit apud Judæos, adeoque fictum non est Scribarum sive Prophetarum munus, qui res quæ gestæ fuerint in Ebræorum Republica chartis commiserint; munusque illud ad solos Prophetas pertinuisse declarat idem Josephus, cujus hæc sunt verba.

Idem Joseph. adv. Appion. Μόνων τῶν Προφητῶν τὰ μὲν ἀνώτατα καὶ παλαιώτατα κατὰ τὴν ἐπίνοιαν τὴν ἀπὸ τοῦ Θεοῦ μαθόντων, τὰ δὲ καθ' ἑαυτοὺς ὡς ἐγένετο σαφῶς συγγραφόντων. *Prophetarum tantùm fuisse, qui remota quidem à suis temporibus & vetustissima ex afflatu divino discerent; quæ verò suæ erant ætatis uti gesta fuerant explicatè conscriberent.*

Miror sanè repertos fuisse Parisiis ætate nostrâ Theologos, qui hanc Prophetarum apud Judæos successionem improbaverint, quasi inde sequeretur Synagogam fuisse præstantiorem Ecclesiâ, quæ tales hodie Prophetas non habet. Audio enim illud & alia similia ab illis Simonio objecta fuisse: sed pace illorum dixerim, eos non satis attendisse ad ea quæ Ecclesiam à Synagoga distinguunt. Eusebius hos non solùm Prophetas in Synagoga agnoscit; sed & alios, qui ne Pseudo-Prophetis locus daretur, Prophetarum scripta recognoscerent, suaque munirent autoritate. Hæc sunt doctissimi illius Patris verba. Παρ' Ἑβραίοις τὸ παλαιὸν οὐ τοῦ πλήθους ἦν τὸ κρίνειν τοὺς ἐκ θείου πνεύματος προφερομένους καὶ τὰς ἐνθέους ᾠδάς· ἀλλ' ἦσαν βραχεῖς καὶ σπάνιοι μέτοχοι καὶ αὐτοὶ θείου πνεύματος διακριτικοῦ τῶν λεγομένων, οἷς μόνοις ἐξῆν ἐγκρίνειν καὶ δὴ ἀφιεροῦν τὰς Προφητῶν βίβλους, τὰς δὲ τῶν μὴ τοιούτων ἀποδοκιμάζειν. *Apud Ebræos antiquitus non erat multitudinis de iis judicare qui Divino Spiritu afflati producebantur & de divinis Carminibus: sed perpauci erant, iidemque participes Divini Spiritûs, cujus est de eorum quæ dicuntur judicare, quibus etiam solis fas erat ea de re statuere, & Prophetarum libros consecrare; eos verò qui non erant Prophetici reprobare.* *Euseb. de Præpar. Euang.*

Quærenti autem Vossio, cur etiam munus illud Propheticum ad LXX. Interpretes non pertinuerit, respondeo illos Interpretes tantùm fuisse, non verò rerum divinarum Scriptores, neque etiam ad eorum classem revocari posse, quorum erat scripta Prophetica à non Propheticis secernere. Sic magni Synedrii Assessores scripturas illas, antequàm in publicum exirent, recognoscebant; unde Hilarius non aliâ ratione adductus fuisse videtur, ut LXX. Interpretes Prophetarum albo adscriberet, quàm quòd existimaverit illos fuisse Hierosolymitanos Senatores. Addit eodem loco Vossius, Simonium ubi loquitur de Prophetis, dixisse eos non fuisse *fatidicos*; at non sic loqui Christianos. Ego quoque, quia Vossius bonus est Christianus, & benè monet, autor fuerim Simonio, ut vocem *fatidici* re- *Hilar. Enarr. in Psalm. 2.*

retractet; modò tamen eâ uti illi liceat, ubi de Prophetis Vossianis loquetur.

Dixerat Simonius, neminem hactenus, si Vossius excipiatur, cogitasse de introducenda in Ecclesiam Sibyllinorum librorum & aliorum ejusdem generis lectione. Sed negat se unquam ea de re cogitasse. Totus tamen est in Opusculo de Sibyllinis Oraculis, ut ostendat sinistram vocis ἀπόκρυφος acceptionem in causa fuisse cur *scripta illa Apocrypha, quæ Veteris Testamenti olim conjungebantur libris*, hodie non supersint. Iterum in eodem Opusculo vaticinium Eliæ desumptum fuisse suspicatur ex libro Prophetiarum Eliæ, *quem olim*, inquit, *Veteris Testamenti scriptis annumeratum fuisse constat.*

Voss. de Sibyll. Orac. cap. 7. & 8.

Jam Prophetico furore exagitatus Vossius invehitur in Simonium, qui existimaverit mentitum fuisse Clementem Alexandrinum, dixeritque vafros, id est, teste Vossio, subdolos & malitiosos priscos Patres fuisse, & imprimis Clementem, si quando cum Judæis & Gentilibus disputarent: *at sic melius*, inquit, *Judæi & Gentiles, quàm Christiani loquantur.* Verùm compescat bilem furoremque suum Propheticum bonus ille Christianus Vossius, qui zelum quidem habet, sed non secundùm scientiam, adeò se rudem ostendit in tractandis Patrum scriptis. Divinos esse libros Sibyllarum ex eo se confeciisse putavit, quòd Clemens Alexandrinus scripserit Apostolum remisisse ad Sibyllarum & Hystaspis vaticinia, eorumque lectionem commendasse: roganti autem ubinam hoc dixerit Paulus; respondit sufficere nobis debuisse, hoc Clementem virum sanctum affirmasse. At regessit Simonius, nosse eos qui aliquam rerum Ecclesiasticarum cognitionem habent, quàm vafrè prisci illi Patres cum Judæis & Gentilibus disputarint. Quid ad hæc Vossius? Totus in furorem versus tonat, debacchatur, malignoque animo Simonii verba explicat, quasi vafrum esse idem sit quod mentiri. Verùm nemo unquam pluris fecit Hieronymum, quàm Erasmus, qui tamen eadem de illo scribat, atque Simonius scripsit de Clemente. Ille siquidem nonnulla Hieronymi verba expendens quæ extant Præfatione in Danielem, ait Hieronymum *obliquè vafrèque* respondisse. An ideo Erasmus, qui proprietatem illius vocis melius noverat quàm ipse Vossius, putavit Hieronymum malitiosum esse hominem ac subdolum qui mentitus fuerit? Absit. Alia siquidem est obliqua & vafra responsio; alia malitiosa & mendax. Sed quàm ineptè bonus Vossius Patrum scripta tractaverit exponam ex ipso Hieronymo, qui Græcos omnes & Latinos Scriptores qui præcesserant evolvit.

Ruffino respondens doctissimus ille Pater declarat, *Aliud esse γυμναστικῶς scribere, aliud δογματικῶς; in priori vagam esse disputationem, & adversario respondentem nunc hæc, nunc illa proponere; argumentari ut libet; aliud loqui, aliud agere.* Istud scribendi genus secutos fuisse Græcos Latinosque Patres autor est idem Hieronymus. *Origenes*, inquit, *Eusebius, Methodius, Apollinarius, multis versuum millibus scribunt adversus*

Hieron. in Apolog. adv. Ruffin.

sus Celsum & Porphyrium. Considerate quibus argumentis & quàm lubricis problematibus Diaboli spiritu contexta subvertant; & quia interdum coguntur loqui, non quod sentiunt, sed quod necesse est dicunt adversus ea quæ dicunt Gentiles.

Benignè igitur, & ad eorum mentem contra quos disputant, verba Patrum explicanda sunt. Illi enim haud infrequenter in exponendis Christianæ Religionis mysteriis varias Græcorum historias & fabellas orationi suæ admiscent, ut illa mysteria minùs à Religione aliena esse videantur. Hæc in Clemente Alexandrino ejusque discipulo Origene licet animadvertere. Sic Origenes, si quando loquitur de Christo Deo & homine, probat exemplo Herculis & aliorum quos Gentilium Theologi in Deos translatos fuisse commenti sunt, Christianorum hac in re persuasionem non superare captum humanum. Hæc sunt verba Origenis. Ὀυδὲν ᾖ ἄτοπον πρὸς Ἕλληνας καὶ Ἑλληνικαῖς ἱστορίαις χρήσασθαι, ἵνα μὴ δοκῶμεν μόνοι τῇ παραδόξῳ ἱστορίᾳ ταύτῃ χρήσασθαι. *Neque absurdum fuerit cum Græcis agentes Græcis uti historiis, ne videamur soli historiam mirificam adduxisse.* Hoc loco de Christi ortu ex Virgine loquitur Origenes.

Origen. adv. Cels.

Istud quoque scribendi genus illustrat eodem loco Hieronymus exemplo Patrum Latinorum Tertulliani, Cypriani, Minutii, Victorini, Lactantii, Hilarii; quin etiam ipsius Pauli, his verbis: *Legite Epistolas ejus, & maximè ad Romanos, ad Galatas, ad Ephesios, in quibus totus in certamine positus est; & videbitis eum in testimoniis quæ sunt de Veteri Testamento quàm prudens, quàm dissimulator sit ejus quod agit.* Hæc quidem verbosè allata sunt; sed mihi res cum homine qui verbis magis pugnat quàm rationibus, quique longo verborum circuitu & quasi ex suggestu declamitans, simplicioribus conetur imponere. Jam modestissimus Vossius in Patres tanquàm minùs Christianos promat caninam suam eloquentiam; allatret Paulum, & ipsum Christum, quem scribit Euangelista finxisse longiùs ire.

Objectat iterum Vossius, frustra se relegari à Simonio, ad Postelli ineptias, quasi, inquit, non sufficiant Simonianæ. Verùm Postelli ineptiæ Vossianæ sunt, non Simonianæ. Jam enim supra demonstratum fuit, ovum ovo similius non esse, quàm Postello Vossius similis est: uterque simili ratione nugatores & impostores in Prophetas transformavit. Addit præterea eodem loco, id omne quod Simonius adduxit de Libris Canonicis, Hagiographis & Apocryphis nihil facere ad institutum, cùm debuisset ex antiquioribus Judæis vel Christianis depromere testimonia, quibus ista Scripturarum divisio quam commentus est Aquila, aut Judæi qui ejus ætate vixerunt, confirmaretur.

Verùm ea quæ ex priscis Ecclesiæ Patribus de Scripturis Canonicis, Hagiographis & Apocryphis Simonius retulit, valde faciunt ad institutum, cùm demonstrent ridiculum esse Vossium, qui Librorum Sacrorum divisionem ab antiquis Patribus approbatam rejiciat; quia putat illam à Judæis odio Christianæ Religionis

nis inventam fuisse. Solus igitur hoc in negotio sapit Vossius, Patresque cum Aquila judaizant. Sed etsi supponamus Aquilam accepisse hanc divisionem à Judæis, nihil planè hoc facit ad rem: à quibus enim aliis, quàm à Judæis, Librorum Sacrorum, quos ex Ebræo Græcos fecit, divisionem accipere poterat Aquila? Ille Ebræos Codices prælsiùs secutus, eos convertit in Græcum sermonem, quales tunc à Judæis legebantur. Divisionem autem illam, postquam Græci facti sunt libri Judaici, autoritate suâ Patres approbarunt. Voces quæ antea solis Judæis cognitæ erant, ubi Græcæ factæ sunt, in usum Ecclesiæ transierunt, quas unus Vossius respuit, quia videt illarum beneficio nugatores suos Prophetas albo Prophetarum expungi.

Sed regerit Vossius, admissâ hâc Judæorum divisione, Euangelia præcipuam Sacrarum Literarum partem libris Scripturæ non annumerari. Quasi verò Ecclesia etiam Novi Testamenti libros à Synagoga recipere debuerit. Mirificus iste homo semper ineptit, nihilque affert quod ad rem faciat. Similiter Sixti Senensis sententiam improbat, Scripturæ libros dividentis in Protocanonicos & Deuterocanonicos; quia voces istæ, autore Vossio, confictæ sunt contra usum linguæ Græcæ. Sic disertulus Vossius vocem quoque *Hagiographa* & alias rejicit, quæ tamen ipsis Patribus non displicuerunt. In eo verò quod subjicit, nos rectiùs facturos, si primum Christianorum divisionem sequamur, non habet Simonium dissentientem, qui autor est ut retineatur librorum ordo qui in Græcis & Latinis Bibliis apparet, quia prior est & melior, atque Ecclesiæ tam Orientalis quàm Occidentalis autoritate comprobatus; aitque audiendos non esse Ebraistas, qui secuti Judæorum Magistros, priscum illum ordinem in edendis Græcis Latinisque Bibliorum Exemplaribus evertunt. Sed adduci non potuit Simonius, ut crederet cum Vossio, novam à priscis Judæis inventam fuisse eo consilio librorum Scripturæ divisionem, ut Christianæ Religioni adversarentur: nam qualiscunque fuerit librorum Scripturæ Sacræ distributio, nihil de eorum integritate minuitur.

Carpit præterea Vossius Simonium, qui in duobus Hieronymi locis vocem *Hagiographa* mutandam esse in *Apocrypha* censuerit contra omnium Exemplarium fidem. Loca autem illa sumpta sunt ex illius Præfationibus in Tobiam & Judith, ubi doctissimus ille Pater libros Tobiæ & Judith ab Ebræis inter Apocrypha recenseri affirmat. Fatetur quidem Simonius, libros manu exaratos cum vulgatis libris conspirare; sed ait lectionis vitium ex ipsius Hieronymi verbis manifestè deprehendi, qui scribat libros hosce catalogo Divinarum Scripturarum à Judæis expunctos fuisse, ac repositos inter Hagiographa. Constat autem ex ipsomet Hieronymo, à Judæis nunquam expunctos fuisse Libros Hagiographos è catalogo Scripturarum Divinarum, cùm eos in tertia Librorum Sacrorum parte collocent, sitque extra controversiam Libros Hagiographos etiam à Judæis Scripturis Canonicis adscriptos fuisse. Rectè itaque Simonius observavit Hieronymi verba isto loco

Hieron.

Simon. Disquis. Crit. cap. 1.

castí-

caſtiganda eſſe, licet deſint Codices MSS. qui lectionem ſuam confirment : quia ſic legendum eſſe docent ipſius Hieronymi verba, ſi paulò attentiùs conſiderentur.

Inſtat tamen Voſſius, qui ait *Apocrypha* mutari non potuiſſe in *Hagiographa*, quia notiora vocabula non permutantur ignotioribus. Sed voces *Apocrypha* & *Hagiographa* æqualiter notæ ſunt. Illius autem mutationis ratio eſt evidens. Scribæ videlicet, qui libros Tobiæ & Judith etiam ab Hieronymo inter Hagiographos reponi cognoverunt, pro voce *Apocrypha* repoſuere *Hagiographa*, non attendentes Hieronymum his locis non ex ſua & Eccleſiæ ſententia loqui, ſed ex mente Judæorum.

Jam ad ſolitas Voſſius declamationes relabitur, ut novum & hactenus inauditum Librorum Sacrorum ordinem, quem introducere voluit, adſtruat. Riſerat eum Simonius, quòd recurriſſet ad veteres Ebræos, ut probaret Judæorum libros olim non deſcriptos fuiſſe in Codicibus, ſed in voluminibus & pellibus continuatis ; cùm etiam ætate noſtrâ Judæi in ſuis Synagogis ejuſmodi voluminibus utantur ; neque tamen illi Legem in quinque partiuntur volumina, uti fecit Voſſius, qui nunc rogat, an ſoli Ebræi juſtam voluminum menſuram ignorarunt. De eo ſolùm quod in Synagogis olim à Judæis obſervatum fuerit Simonius locutus eſt, priſcumque illum Synagogarum uſum ex eo confirmavit, quòd eumdem ætate noſtrâ retineant. Certum eſt autem Judæos in volumina quæ Synagogarum uſui ſerviunt nihil ferè mutationis invexiſſe; cùm etiam poſt inventa à Tiberiadenſibus Magiſtris puncta, quorum ope verborum Ebraicorum lectio expeditior facta eſt, nihil prorſus in Synagogarum voluminibus immutatum fuerit. Sed miſſis hiſce minutiis venio ad alia quæ majoris ſunt momenti.

Objecerat Voſſius, ab Aquila & Judæis odio hebdomadum Danielis, illum Prophetam extremo penè inter Hagiographos loco rejectum fuiſſe. Reſpondit Simonius, de ordine quem in Judæorum libris Daniel teneat diſputandum non eſſe; quia conſtat Judæos æquè fidem habere Danielis de Meſſia vaticiniis, atque ipſi Chriſtiani fidem habent. Quid ad hæc vitilitigator Voſſius? *Profectò ſi hoc verum eſſet, non eſſent Judæi.* Quaſi verò ex eo quòd Judæi æquè ac Chriſtiani Danielis vaticinia de Meſſia exponant, ſequatur illa eodem modo ab utriſque explicari. Simonius firmiſſimis rationibus probavit, nihil à Judæis de autoritate Davidis & Danielis minui, etſi illos in Prophetarum claſſe non recenſeant; quia in his libris, æquè ac Chriſtiani, agnoſcunt vaticinia de Chriſto contineri. Cur igitur Simonii rationibus, quæ ex Judæorum ipſorum libris depromptæ ſunt, Voſſius non reſpondit? Sed Hieronymus, inquit, & Theodoretus teſtantur Judæos negare Danielem fuiſſe Prophetam. At quo ſenſu id verum ſit oſtendit Simonius, qui putat litem hanc tantùm eſſe de nomine inter Chriſtianos & Judæos, quæ facili negotio conciliari poſſit ; cùm ipſemet Hieronymus teſtetur Danielem recenſeri à Judæis inter Apocryphos Libros, qui etiam Divini ſunt, inferioris tamen ordinis

quàm

quàm libri Prophetici; quo etiam modo Judæi agnoscunt libros Propheticos ordine & dignitate inferiores esse libris Mosis. Nemo tamen inde conficiet, unum Mosem apud Judæos Spiritu Sancto afflatum fuisse.

His & aliis pluribus cùm nihil habeat Vossius quod reponat, nugas agit; & quia non alios opinionum suarum testes laudare solet, quàm nugatores, profert Montaltum Judæum affirmantem, *Danielem eâdem prorsus ratione quæ scripsit vidisse, atque asinam Balaami cernentem ea quæ ipse non videret Balaamus.* Viderit ipse Vossius Latinissimus, quàm ineptè loquatur: verba enim illius indicant visam esse à Daniele asinam Balaami. Sed ista non moror, quia leviora sunt. Dixerim tantùm, si Vossius plus sciret Ebraicè quàm asina Balaami, Judæorum sententiam ex eorum libris hausisset, uti fecit Simonius, non ex nugatore.

Addit de Cetuvim opus non fuisse ut eum moneret Simonius; quia ipse scit Judæos sorbere simul & flare, atrumque albo permutare, si res postulet. Sed si res ita sit in eo de quo agitur argumento, cur non illud ex eorum libris demonstravit, maximè cùm Simonius hoc loco Vossium remiserit ad Judæorum libros, eumque rogaverit ut ex illis aliquid proferret quod sententiæ suæ faveat? Quæ enim mox subjungit de voce Cetuvim ridicula sunt, quasi eâ Judæi scripturiculas intelligant ne quidem nomine librorum dignas. Quid enim ad rem facit grammatica observatio de vocabulo γραφεῖον, quo, referente Vossio, Judæi olim usi fuerint, ut libros Cetuvim seu Hagiographos exprimerent, si ex ipsismet Judæis manifestè probari possit, eos γραφείων nomine intellexisse libros qui ab hominibus Spiritu Sancto afflatis scripti fuerint? Cur sensum vocis illius, quam putat ineptam & ab Aquila confictam, pervertit contra illorum mentem qui eâ utuntur? Nihil enim ipsis aliud fuit γραφεῖον, quàm Ebraicum Cetub sive Scriptum. Sic quoque Christiani universam Sacram Scripturam vocant Βιβλία & Scripturam. An ideo minùs divina est, quia non appellatur Scriptura Divina. Sed bono Vossio nihil aliud subest quod Judæis opponat, quàm subtilitates quas depromit è Grammatica.

Iterum Vossius objicit Talmudis verba, quæ sic habent. *Bonum est ut evellatur litera de Lege, & sanctificetur nomen Dei.* Ait Simonium, qui Talmudistam Vossium riserat, ironiis valde delectari. Sed quis non rideat hominem, qui cùm tam imperitè Rabbinorum libros tractaverit, nunc adeat libros Talmudicos pauciſſimis etiam Judæis cognitos? Dixerat Simonius, hanc locutionem & similes quæ occurrunt in Talmude ad Sacrorum Librorum corruptionem trahi non posse, sed ad diversas illarum explicationes. Eadem verò Talmudis verba hîc repetens Vossius, Simonii mentem ita interpretatur, ac si crediderit non licitum quidem fuisse cuilibet è plebe verba Scripturæ immutare, sed solis magni Synedrii Assessoribus. Verùm ipsa hoc loco Simonii verba evincunt illum de sanctionibus tantùm ferendis locutum fuisse, non de Sacrorum Librorum mutatione; idque manifestè apparet ex R. Ben Maimon & Autoris libri *Talmud.*

Cozri testimoniis, quibus suam ea de re sententiam illustravit. Hanc ferendarum sanctionum potestatem penès Synedrii magni Assessores fuisse, nemo nisi novator & è Socini discipulis negaverit.

Alia dein Simonii verba subjicit Vossius, quæ ita obscura esse putat, ut ne quidem ea credat à Simonio posse explicari. Miror hominem qui spiritu Sibyllino afflatus res obscurissimas & à nostris temporibus remotissimas intueatur, ea quæ explicatu facilia sunt non intellexisse; in hunc enim locum manifesto Typographi errore irrepsit illum pro illîc. Curabit Simonius ut Opusculum illud quod ipse non edidit, è suo Codice, qui castigatior est & auctior, iterum lucem aspiciat. Verborum autem Simonii is est sensus; in allato Talmudis loco agi de litera, imò de dictione vel sententia aliqua Scripturæ, ubi verba ejusdem Scripturæ exponuntur; minimè verò de mutandis eradendisque ipsius Contextûs literis aut dictionibus. Sed quia Sibyllista Vossius Talmudico spiritu afflatus non fuit, ejusmodi Talmudicas locutiones non potuit comprehendere, quæ tamen sæpius in istis libris occurrunt. Sic dicunt Talmudistæ אל תקרא כן אלא תקרא כן. *Ne legas sic; sed legas sic.* Nemo judicio præditus inde concludet Judæos Sacri Codicis lectionem pervertisse: sed Magistri illi qui valde allegoriis delectantur, varias literarum Scripturæ fingunt lectiones, ut diversos ex fictis illis lectionibus sensus eliciant. Sed istæ & similes locutionum formulæ in Scripturæ Sacræ eversionem trahi non possunt, nisi ab imperitis qui Judæorum libros nunquam tractarunt. Qua in re isti homines Talmudistis ipsis sunt ineptiores. Quantum autem Judæi ab ista Sacrorum Librorum depravatione alieni fuerint, docet Trypho Judæus, quem Justinus Martyr introducit dicentem, rem istam incredibilem esse, magisque Judæos ab illa abhorrere, quàm à vituli fabricatione. Ἀπίστῳ ἔοικε· φοβερώτερον γάρ ἐστι τῆς μοσχοποιΐας.

Trypho apud Justin. Martyr.

Morinum hîc non moror, à quo Vossius locum hunc Talmudis & alia omnia quæ apud ipsum Rabbinologiam sapiunt, deprompsit. Laudo quidem Morini eruditionem, laboremque illius ac patientiam in evolvendis Judæorum libris admiror: sed eum fuisse judicii pauci illius scripta ostendunt. Vossius, qui multa ab illo sumpsit, illius errores multiplicavit, ut ab eo aliquâ ratione discrepare videretur. Optat ipse Vossius, ut etiam Simonius Morini simius fiat. Verùm licet Vossio μωραίνειν; quod absit à Simonio.

Quæ autem mox subjungit Vossius de Simonii sententia, qui cum Cappello aliisque viris doctis existimaverit, linguam Ebræam in captivitate Babylonica deperditam fuisse, ea omnia vana sunt & inutilia; cùm inde non concluserit Simonius, LXX. Interpretes linguæ Ebraicæ ignaros fuisse, uti fingit Vossius, cui profectò nihil solidi subesset quod posset reponere Simonio, nisi verba ejus perverteret. Negavit itaque Simonius, linguam Ebraicam temporibus LXX. Interpretum superstitem fuisse apud Judæos & vernaculam, cùm illam in captivitate Babylonica dedidicerint, etiam non diffitente Vossio: constat enim Judæos postea Chaldaicè

daicè locutos fuisse, non Ebraicè. Non inde tamen sequitur LXX. Interpretes ignorasse sermonem Ebraicum, qui, ut multis probat Simonius, in exilio Babylonensi penès Prophetas, Sacerdotes ac viros principes remanserit, quique non solùm usque ad LXX. Seniorum tempora apud illos servatus fuerit; sed & seculis posterioribus apud Doctores: quippe Lex Mosis in Scholis & Synagogis semper Ebraicè lecta est.

Jam negat Vossius, se unquam talia de Josepho somniasse quæ ipsi tribuit Simonius, quasi dixerit Josephum Legem Moysis in Synagoga Ebraicè interpretatum fuisse. Aperta tamen sunt illius verba, nec mirum est illum hominem etiam vigilantem somniare, apud quem Josephus modò Ebraicè loquitur, modò Chaldaicè, modò Syriacè, modò Arabicè. Brevi, si Vossio placet, idem Josephus loquetur Hibernicè. Quod verò addit Vossius, Josephi verba initio belli Judaici nec à Simonio nec ab aliis Interpretibus intellecta fuisse, non est ad rem, quia Simonius nihil è Josepho attulit, quàm illud quod ex eo ipse Vossius deprompserat: sed & solum Vossium verba Josephi non intellexisse mox ostendam. Dixit igitur Vossius, Josephum historiam belli Judaici, antequàm Græcè scriberet, linguâ Ebraicâ edidisse. Nunc hoc ipsum negat Vossius, qui semper loquitur pugnantia. Tamen sic ille respondet Hornio, qui objecerat Josephum Ebraicè imperitum fuisse. *Ut tamen aliquid dicere videaris, vide quàm stulta promas, Flavium Josephum omnium sui seculi Hebræorum longè eruditissimum, qui Legem Moysis in Synagoga Hebraicè interpretatus est, qui historiam belli Judaici, antequàm Græcè scriberet, linguâ Hebræâ edidit, uti ipse testatur; hunc, inquam, Josephum Hebraicè nesciviſse.* Dein paucis interjectis hæc regerit modestissimus Vossius adversus Hornium. *Ullumne majus insciti& & impudentiæ exemplum possit excogitari, quàm id quod hîc denuò ostendere conatur, Flavium Josephum nesciviſse linguam patriam, & ne quidem inspexiſse Codicem Hebraicum?* Tunc igitur Josephus, teste Vossio, loquebatur Ebraicè, patriusque illius sermo erat Ebraicus; de hoc enim sermone cum Hornio disputavit, qui Josephum illius fuisse imperitum assereret. Verùm illud Josephi testimonium de sermone Syriaco sive Chaldaico intelligendum esse rectè monuit Simonius, cùm tunc sermo Ebraicus apud Judæos vernaculus non esset.

Sapiens Vossius, qui *mutatur ut luna*, neminem esse affirmat qui tempore Apostolorum & Josephi in Imperio Romano linguæ Syriacæ meminerit, quia in Syria Palæstina lingua Græca erat vernacula. Sed si ita res se habet, quomodo Josephus linguam Ebræam sive Syriacam appellat sermonem patrium? Quomodo Christus, ipsomet Vossio referente, Syriacè cum muliere Samaritana collocutus est? Cuidam enim Magistello, qui Vossium reprehenderat, quòd dixisset Christum cum Samaritana muliere Ebraicè collocutum esse, objicienti debuisse dici Syriacè, sic respondet modestissimus Vossius. *Nescit fatuus eamdem olim fuisse linguam Syriacam & Ebraicam:* adeoque

Voss. Castigat. ad Scriptum Hornii.

Voss. in Epist. ad Andr. Colv.

que nunc Josephus loquetur etiam Syriacè.

Jam longè oculatior factus Vossius negat Josephum etiam Syriacè locutum, sed putat patrium illius sermonem fuisse quamdam linguam Chaldaicam, quam ipse ignorat, sed quæ erat lingua vernacula illorum Barbarorum qui extra fines Romani Imperii trans Euphratem viverent. Miror profectò hominis istius ingenium, qui tot commenta effutiat quæ nihil faciant ad institutum, quique suo seipsum gladio jugulet. Si enim verum est sermonem vernaculum istorum Trans-Euphratensium Chaldaicum fuisse, uti quoque verum esse existimo, necesse quoque est patrium Josephi sermonem fuisse Chaldaicum, cùm non alium habuerit sermonem patrium quàm illum, quo etiam, teste Vossio, historiam suam conscripsit. Illud autem confirmat Simonii sententiam, qui nomine Syriaci sermonis, qui tunc apud Judæos vernaculus erat Hierosolymis & in locis vicinioribus, nihil aliud intellexerit quàm sermonem illum Chaldaicum, quem cum viris doctis appellat modò Syriacum, modò Chaldaicum, modò Chaldaico-Syriacum, aitque eum sermonem qui tot diversis nominibus indicatur, non alium fuisse, quàm illum quem Judæorum Majores è Babylone reportaverant; quique alius esse non potuit quàm Chaldaicus.

Quis credat Josephum libros de bello Judaico, quos se Ebraicè edidisse testatur, non scripsisse Judæis in Imperio Romano viventibus, sed solis Trans-Euphratensibus? Quasi Josephus, qui tunc de scribenda nationis suæ historia patrio & vernaculo sermone cogitabat, ad eos solùm animum suum applicuerit, qui Parthicæ Ditioni obnoxii erant. Hoc quidem viris judicio præditis minùs credibile videbitur; sed bonus Vossius nihil amat nisi quod est distortum & parum credibile. Id tamen rectè se confecisse putat, si dixerit, Josephi verba à nemine hactenus intellecta fuisse. *Ineptissimè*, inquit, *verba Josephi Interpretes reddidere, ac si* οἱ ἄνω Βάρβαροι *sint Barbari qui retrò fuerunt, & Josephus in usum jam olim defunctorum istam condidisset historiam.* Sed vereor ne hîc solus ineptiat Vossius; hanc tamen addit novæ suæ interpretationis rationem, οἱ ἄνω Βάρβαροι sunt superioris Continentis Barbari: sic οἱ ἄνω ἐπαρχίαι sunt provinciæ quæ longiùs absunt à mari, ut οἱ κάτω ἐπαρχίαι mari propiores. Ex vocum ambiguitate semper quærit Vossius effugia. Notum est omnibus, Græcum ἄνω & locum & tempus denotare. Hîc Vossius illud contra manifestum Josephi sensum pro loco sumendum esse existimat: at pro tempore sumendum esse res ipsa indicat; adeoque hæc Josephi verba, οἱ ἄνω Βάρβαροι, rectè ab Interpretibus reddita sunt *Barbari qui retro fuerunt.* Neque tamen Josephus historiam suam condidit in usum jam olim defunctorum, sed Barbarorum, id est hominum gentis suæ, qui à priscis temporibus Palæstinam incolebant, & quibus vernaculus erat sermo Chaldaicus sive Syriacus, quem Josephus patrium appellat. Hîc igitur dictio οἱ ἄνω tempus denotans significat antiquos Regionis illius incolas. Josephus autem eamdem Judaici belli historiam, quam

quam primùm Chaldaico seu patrio sermone ediderat in usum gentis suæ, postea Græcè scripsit in eorum usum qui Græcè scirent, quia scilicet vix alia reperiebatur lingua in toto Imperio Romano; ita ut Romæ etiam plerique callerent Græcas Literas. Hic est genuinus Josephi verborum sensus, neque alius ea legenti primo aspectu sese offeret. In prima scilicet historiæ suæ editione Judæos instruxit, eosque magis qui in Syria Palæstina degebant, quàm Parthos, Babylonios, Arabas, Trans-Euphratenses atque Adiabenos; & ob hanc causam ait se patrio sermone scripsisse: in secunda verò editione Græco sermone conscriptâ, in animo habuit alias Imperii Romani gentes, quæ Græcè loquebantur, vel Græcè sciebant, instruere.

Instat iterum Vossius, negatque Christum & Apostolos Hierosolymis Syriacè locutos fuisse: & ut audax est, ita affirmat audacter hanc sententiam semidoctorum esse & fanaticorum. Semidoctus igitur est ipse Vossius & fanaticus, quia scripsit Christum cum muliere Samaritana Syriacè collocutum fuisse, & voces quas Joannes Euangelista, Cap. 19. vocat Ebræas manifestè esse Syriacas. Verùm didicit Vossius à Judæis sorbere & flare. Fanatici, si qui sunt in Anglia qui hanc sententiam tueantur, non sunt hac in re fanatici, utpote qui cum Ecclesiæ Patribus, præstantissimis Theologis, virisque Ebraicè, Græcè ac Syriacè doctissimis hac in re consentiant. Sed fanaticus potiùs plerisque hominibus videbitur Vossius, qui solus sapiat.

Quod autem addit, in tota Ditione Romana nullum inveniri Scriptorem qui scripserit Syriacè, sed omnes Græcè scripsisse, vanum est ac futile: nam Josephus primam historiæ suæ editionem Syriaco sive Chaldaico sermone scriptam evulgavit: Matthæi quoque & Nazaræorum Euangelium Græcè conscriptum non fuit. Judæi qui non erant Hellenistæ nonnullos Scripturæ libros fecerunt Chaldaicos; unde etiam Hieronymi temporibus Judæi quibus utebatur præceptoribus Chaldaicè sciebant & loquebantur.

Iterum negat Vossius, linguam quæ Syriaca dicebatur fuisse inter Syros Romanæ Ditionis: sed rem aliter esse ostendunt manifestè complures Novi Testamenti voces. At regerit Vossius, malè in Euangelio & in Actibus Apostolorum per linguam Ebraicam intelligi Syriacam. Idem tamen Vossius contra Magistellum quemdam disputans, ineptos & fatuos eos appellat, qui nomine sermonis Ebraici in Novo Testamento alium intelligunt quàm Syriacum. Sit igitur modestissimus Vossius, seipso autore, ineptus & fatuus. *Voss. in Epist. ad Andr. Colv.*

Dein de nominibus lites intendit, cùm linguam illam dicendam esse Chaldæam asserit, quia sic Josephus & Philo locuti sunt. Verùm, ut omnem de nominibus disputationem Simonius tolleret, linguam istam modò appellat Chaldaicam, modò Syriacam, modò Chaldaico-Syriacam; ac demum ait illam esse quam Judæi è Babylone reportaverant. Syriacam eam appellavit, quia viri linguarum Orientalium callentissimi sic locuti sunt: tanta est enim inter

linguam Syriacam & Chaldaicam affinitas, ut etiam ætate noſtrâ Syri, tam Maronitæ & Jacobitæ quàm Neſtoriani, linguam quâ eorum libri conſcripti ſunt, quæ extra controverſiam Syriaca eſt, Chaldaicam appellent. Sic Maronitarum Miſſale Romæ editum inſcribitur Miſſale Chaldæum. Similiter Georgius Amira qui Maronita fuit, Grammaticam ſuam Syriacam, quæ Romæ quoque edita eſt, inſcripſit Grammaticam Syriacam ſive Chaldaicam. Neque etiam deſunt in Sacris Literis exempla, quæ probent linguam Chaldæorum appellari Syriacam. Ita Danielis Cap. 2. verſ. 4. Chaldæi dicuntur reſpondiſſe Regi ארמית, in Græca Verſione Συριστί, & in Latina Syriacè. Chaldaicus igitur ſermo ſive Babylonius, de quo agitur, etiam ſecundùm ipſos Babylonios appellatur Syriacus. Verùm ea omnia quæ Voſſius huc congeſſit de lingua Chaldaica, Syriacâ & Arabicâ, demonſtrant illum ejuſmodi linguarum minùs peritum fuiſſe. Neque enim aliud ſibi propoſuiſſe videtur, quàm inani verborum ſono ſimplicioribus imponere. Poſtquàm tamen tot ineptias bonus Voſſius effutiit, miris modis ſibi applaudit. *Valeat*, inquit, *Hieroſolymitana iſta Syriaca lingua, æquè vana ac Helleniſtica. Valeant quoque cavillationes P. Simonii, cùm ex omnibus ne una quidem ſuccedat.* Sed potiori jure dixerim, Valeat & in æternum valeat bonus Voſſius, qui ineptiis effutiendis ita aſſuetus eſt, ut ſeipſo autore ineptus ſit, fatuus & fanaticus; pudeat illum tot nugas & ineptias comminiſci, ut ineptis & fatuis imponat.

Georgius Amira.

Denique Voſſius his ineptiis alias accumulans addit, putare ſe non errare, ſi audacter (id eſt temerè) affirmaverit tempore Chriſti in omnibus Hieroſolymitanis Synagogis, paucis forſan exceptis, quas Parthici & Arabici generis frequentarent Judæi, ſolas lectas fuiſſe quas LXX. Interpretes tradiderunt Scripturas, cùm ſola iis Græca eſſet vernacula lingua. Sed longè veriùs cum Simonio dixerim, non quidem audacter, Judæos legiſſe Hieroſolymis ex avita Patrum ſuorum Traditione Scripturam Ebraicè, cui prælectioni ex eadem Traditione acceſſerit Chaldaica ſive Syriaca interpretatio, quia ſermo Chaldaicus quem Majores ſui è Babylone reportaverant, etiam illis temporibus Hieroſolymis ſuperſtes erat, ut ex pluribus Novi Teſtamenti locis apertè demonſtratur.

His omnibus quaſdam ratiunculas ſubjicit Voſſius, quæ facilè refelli poſſunt. Affirmat Romanas leges non permiſiſſe ut in templo Hieroſolymitano habitæ fuerint conciones Ebræo, aut quocunque alio ſermone Græcis & Romanis ignoto; Græcæ aut Latinæ linguæ neceſſitatem omnibus victis impoſitam fuiſſe. *Quomodo*, inquit, *potuiſſet vita miſeris conſtare Judæis, ſi Hebraica, ſeu, ut volunt, Syriaca tantùm gnari linguæ eò redacti fuiſſent neceſſitatis, ut nec teſtamentum condere, nec contractus & obligationes facere & ſignare potuiſſent?* Bellus ſanè ratiocinator eſt Voſſius. Romanas illas leges proferat, quibus Judæis vetitum fuerit ſecundùm Religionis ſuæ ritus vivere, ac legere in Synagogis ſuis Ebraicè Legem Moſis, eamque patrio ſer-

sermone interpretari. Si verum sit non aliam Hierosolymis auditam fuisse linguam quàm Græcam & Latinam, cur titulus quem cruci imponi jussit Pilatus, scriptus fuit Ebraicè, Græcè & Latinè? Dicet sanè lepidulus Vossius, Ebraicè sive Chaldaicè tituli verba etiam scripta fuisse, ut à Judæis illis Trans-Euphratensibus, qui lynceos habebant oculos, legi possent.

Jam à Simonio annotatum fuit, linguam Græcam etiam obtinuisse Hierosolymis apud viros primarios & Magistratus, quorum erat curare ut testamenta, contractus, obligationes, aliaque acta civilia & forensia instruerentur. Etsi victores linguæ suæ necessitatem in ejusmodi rebus imponant victis, nunquam tamen linguæ illius necessitas ad plebeios homines transit, nisi post longa tempora, ut ex diversarum nationum Annalibus licet colligere. Quodque videtur animadversione dignum, Judæi qui in Palæstina commorabantur linguam illam Chaldaicam, quam à suis Patribus acceperant, adhuc Hieronymi ætate retinebant. Sic etiam hodie Judæi Hispani, qui in Oriente dispersi sunt, præter Turcarum linguam servant quoque Hispanicam, habentque Biblia Hispanicè conversa, quæ Ebraicis characteribus exarata sunt. In Francia ante Franciscum Primum res forenses Latinè agebantur in Curiis: Parlamentorum arresta, ut vocant, quæque tunc judicata appellabantur, Latino sermone concepta fuerunt. Similiter alia quæcunque acta civilia eodem sermone concepta sunt. An ideo tunc miseri erant Franci, quos constat Latinè locutos non fuisse? Quomodo poterit vita misello constare Vossio, si degens in Anglia ignarus linguæ Anglicæ eò redactus fuerit necessitatis, ut nec testamentum condere, nec contractus & obligationes facere & signare possit? Itaque apud Judæos Hierosolymitanos res forenses Græco vel Romano sermone peragi potuerunt; adeoque vanum est & inutile quod eodem loco subjungit Vossius, stipulationem Punico aut Assyrio conceptam sermone in Jure non posse subsistere. Sed non est cur ejusmodi Vossii ratiunculis diutiùs immorer.

Neque etiam plus habet soliditatis quod ibidem ex Theodoreto profert, qui ait pueros Ebræorum ætate suâ non statim usos fuisse linguâ Ebraicâ, sed linguâ gentium apud quas nati sunt; ubi verò adoleverint doceri literarum characteres, & per has addiscere Scripturam Sacram Ebraicam. Ista quidem vera sunt; sed nihil faciunt ad institutum: nam pueri Ebræorum Hierosolymitanorum gentis etiam suæ linguam, quæ Syriaca erat seu Chaldaica, primùm addiscebant; dein docebantur literarum Ebraicarum characteres; sicque tandem Scripturam Sacram Ebraicam addiscebant.

Imponit iterum Simonio Vossius, verbaque & rationes illius pervertit, ut habere videatur aliquid quod reponat. Objicit Simonium, etsi videatur parum tribuere figmentis Rabbinicis, probare tamen illud quod est omnium figmentorum futilissimum, vocales scilicet seu puncta Moysi à Deo in monte Sinai reve-

revelata, à Maſorethis poſt exacta tria annorum millia Legi adſcribenda. Verùm Judaicum iſtud commentum paſſim rejicit ac refellit Simonius in ſuis ſcriptis, ſimulque originem illius aperit, cur videlicet Judæis nihil ſit niſi Divinum & Propheticum, curve fabellas ſuas è monte Sinai vel è Synagoga quam appellant magnam, deducant: ſed id Voſſio non arriſit, quia ex eadem origine Simonius ducit LXX. Interpretum Prophetiam. A commento autem Judæorum de antiquitate punctorum adeo alienus eſt, ut hoc loco aſſerat fabellam iſtam de punctorum vocalium antiquitate ex eo potiſſimùm venire, quòd Judæi hac in re de more gentis ſuæ locuti fuerint, non verò ex rei ipſius veritate; illudque genus locutionis, quod Judæis familiare eſt, complures viros in errorem perduxiſſe, dum Judæorum libros non ſatis cautè evolvunt. Quibus verbis Simonius ætatis noſtræ Ebraiſtas notat, qui tantam punctis vocalibus tribuunt antiquitatem. Quî igitur fieri poteſt, ut jam Simonius in alium hominem transformatus, laudet probetque Rabbinorum commentum de punctis Moſi à Deo in monte Sinai revelatis? Sed Voſſius, qui nugatores in Prophetas transformare potuit, Simonium etiam in Rabbinorum defenſorem & Patronum transformavit. Quod autem mox ſubjicit ſumptum ex libro Cozri, ut de Judæorum Traditionibus detrahat, illud non eſt hominis judicio præditi, cùm Scriptor illius libri ad id unum attendere videatur, ut Religionem Judaicam adſtruat beneficio Traditionis contra Philoſophos & Judæos Carræos Judaicarum Traditionum contemptores.

Pergit Voſſius Simonio imponere, dum eum refellit, quaſi in ea ſit ſententia, ut in Scripturis interpretandis ſoli audiendi ſint Rabbini. Nam dixit Simonius, etiam referente Voſſio, artem nullam ab uno & altero perfici, ſed ab omnibus ſimul qui illam artem tractarunt; adeoque linguæ Ebraicæ cognitionem petendam non eſſe à recentioribus tantùm Rabbinis, ſed & à vetuſtis Interpretibus. Parvi facit etiam Simonius recentiores Scripturæ Sacræ Interpretes, quòd Verſiones ſuas è Rabbinis hauſerint. Viderit etiam Voſſius, quâ fronte eodem loco ſcribat à Simonio in conſtruenda nova Scriptura adduci ſolos Judæos, Maſorethas videlicet, Aquilam, Symmachum, Theodotionem & Hieronymum, nullâ factâ LXX. Interpretum mentione; cùm iſtoc loco & alibi paſſim LXX. Interpretes primos nominet, teſteturque ſe hac in re non diſſentire à Voſſio, ſed in hoc ſolùm quòd præter LXX. Interpretes Voſſius exiſtimet nullos alios audiendos eſſe: at Simonius contrà putat conſulendos quoque eſſe Aquilam, Symmachum, Theodotionem, Hieronymum & Rabbinos; quia ars nulla ex uno & altero perfici poteſt, ſed ex omnibus ſimul. Hoc etiam ſenſu dixit ſe nullius Magiſtri legibus addictum eſſe, utpote qui non ſolos audiendos eſſe LXX. Interpretes ſentiat, ſed & alios omnes ex quibus perfectior linguæ Ebraicæ cognitio habeatur.

Fingit præterea Voſſius, quia nihil

hil habet quod reponat, Oralem Judæorum Traditionem propugnari à Simonio, qui tamen illam passim ridet & evertit in suis scriptis. Contendit quidem traditionem aliquam sive usum lectionis semper fuisse apud Judæos in legendis Sacris Codicibus: sed hæc traditio à Cabbala seu Orali Judæorum Traditione multùm discrepat, quam Carræi Traditionum contemptores respuunt. Illa autem lectionis traditio, cujus mentionem facit Simonius, ab iisdem Judæis Carræis approbata est. Nomine igitur traditionis nihil aliud se intelligere profitetur Simonius, quàm usum quemdam legendi Contextûs Ebraici, qui semper apud Judæorum Doctores remanserit, cùm eadem planè sit ratio linguæ Ebraicæ ac cæterarum linguarum, quæ etsi emortuæ sint nec ampliùs vernaculæ, vigent tamen & in Scholis & apud Doctores. Hac ratione linguam Ebraicam apud Judæos servatam fuisse demonstrat Simonius, sicut etiam hodie sermo Syriacus apud Syros retinetur. Quis hanc traditionem seu hunc lectionis usum confundet cum superstitiosa Judæorum Cabbala sive Traditione, nisi Isaacus Vossius, qui semper falsa scribit, nec unquam ferit scopum?

Ad id quod scripserat Simonius, etiam Aquilam ab Origene laudatum fuisse, ut Interpretem qui verborum proprietates explicaret, Vossius respondet Origenem id fecisse ex opinione Judæorum, cùm seipsum interpretetur in Epistola ad Affricanum. Verùm quidem est Origenem in Epistola quam scripsit Affricano

Origen. in Epist. ad Affric.

videri esse in ea sententia, ut soli audiantur LXX. Interpretes: sed illum hoc loco ex recepta magis opinione quàm ex sua sententia locutum fuisse manifestè demonstravit Simonius. Ipse siquidem Origenes aliis locis, ubi mentem suam exprimit, multum tribuit Aquilæ & aliis Interpretibus qui Codices Ebraicos in Græcum sermonem converterant, eosque haud infrequenter sequitur: ita ut etiam illorum ope corruptam LXX. Interpretum scripturam corrigere non reformidaverit. Sic postquàm deprehendit nomina propria in LXX. Interpretum Exemplaribus magna ex parte corrupta fuisse tam in Lege quàm in Prophetis, censet illa restituenda esse ex Ebræorum Codicibus & ex Versionibus Aquilæ, Symmachi & Theodotionis, quas puriores esse affirmat. Hæc enim sunt Origenis verba Commentariis in Joannem, postquàm nonnulla in nominibus propriis Novi Testamenti errata correxit, & eadem in LXX. Interpretibus occurrere deprehendit. Τὸ δὲ ὅμοιον περὶ τὰ ὀνόματα σφάλμα πολλάκου τοῦ νόμου καὶ τῶν Προφητῶν ἐστιν ἰδεῖν, ὡς ἠκριβωσάμην ἀπὸ Ἑβραίων μάθοντες καὶ τοῖς ἀντιγράφοις αὐτῶν τὰ ἡμέτερα συγκρίναντες μαρτυρηθεῖσιν ὑπὸ τῶν μηδέπω διαστραφεισῶν ἐκδόσεων Ἀκύλου καὶ Θεοδοτίωνος καὶ Συμμάχου. Corruptos igitur ætate suâ fuisse Græcos LXX. Interpretum Codices agnoscit Origenes; contrà verò incorruptum remansisse Contextum Ebræum; Græcasque Aquilæ, Theodotionis & Symmachi Versiones remansisse quoque incorruptas: quâ potissimùm ratione adductus est

Orig. Comment. in Euang. Joann.

Hieronymus, ut novam Ebraici Codicis Verſionem conderet. Similiter Origenes, ubi diverſas LXX. Interpretum lectiones offendit, non dubitat eam præferre quæ cum Ebræo concordat. Cur autem interdum Græcam LXX. Interpretum Tralationem cæteris Verſionibus præferat, cauſa evidens eſt; quia videlicet ea ſola tunc in Eccleſiis obtinebat. Unde, ſi quando lectionem Codicum Ebraicorum præmonſtrat, ſtatim addit id quod jam uſu receptum in Eccleſiis legebatur exponendum eſſe, ita tamen ut quod in Ebraicis legebatur Exemplaribus intactum non relinqueret. Δεῖ ἓν ᾧ τὸ κατηχημενόμενον ᾧ φερόμενον ἐν ταῖς Ἐκκλησίαις διηγήσασθαι, ᾧ τὸ ὑπὸ τῶ Ἑβραικῶν γραφῶν ἀδιήγητον μὴ καταλιπεῖν.

Simonius dixerat, non ideo mutos fuiſſe Judæorum Codices tempore Origenis, quòd illos Græcis literis in ſuis Hexaplis expreſſiſſet; ſed quia voluit, ut ii etiam qui nihil Ebraicè ſcirent, Ebraica poſſent legere. Jam Voſſius, qui liberalis eſt, lubenter illud ſe concedere affirmat: ſed quærit, cùm Ebræi Codices carerent vocalibus, unde & à quibus haurire potuit Origenes rationem reſarciendi iſtum defectum vocalium, niſi à Judæis. Mirificus ſanè ratiocinator eſt Voſſius, qui nodum in ſcirpo quærit. Jam reſpondit Simonius, id habuiſſe Origenem ex recepta apud Judæos legendi ratione; qualem in legendis libris Syriacis, Chaldaicis & Arabicis extare apud Syros, Chaldæos & Arabas norunt linguarum Orientalium periti. Ita ſi quis hodie Maronita verba Syriaca libri alicujus Latinis literis velit exprimere, illa facillimè exprimit, ſi ſciat Syriacè. Neque profectò hac in re alia fors fuit linguæ Ebraicæ, quàm linguæ Syriacæ, Chaldaicæ & Arabicæ. Quare nugas agit Voſſius, & linguarum Orientalium imperitum ſe oſtendit, quando ait legi quidem vulgò à Judæis libros à quibus abſunt vocales, poſtquàm ſtabilita eſt lectio à Maſorethis; ſed ante illa tempora eos legi non potuiſſe, niſi illâ quam Origenes tradidit ratione, apponendo nempe Ebraica Græcis literis; quæ Ebraica tunc vocalibus inſtructa fuerint; quâ tantùm ratione Judæos compendiariam ſcripturam aſſequi potuiſſe contendit Voſſius: ſicuti nunc eamdem aſſequuntur beneficio Maſorethicæ lectionis. Verùm à Voſſio quæſierim, unde Samaritæ, qui eamdem compendiariam ſcribendi Codices Ebraicos rationem habent atque Judæi, vocales reſarcire potuerunt, cùm Maſorethica puncta non agnoſcant: unde etiam Syri, Chaldæi & Arabes, quorum ſimilis eſt ratio atque Judæorum, ſupplent in linguis ſuis ejuſmodi vocales, cùm in pauciſſimis eorum libris puncta vocalia exprimantur: præterea quâ arte Judæi Talmudicorum Rabbinorumque libros poſſint legere & interpretari, à quibus abſunt ejuſmodi Maſoretharum puncta.

Pergit iterum nugari Voſſius, ac quærit, ſi unicuique pro lubitu licitum fuit addere aut variare vocales, quomodo ſibi conſtare potuit lectionis & pronunciationis ratio. Sed non ita pro lubitu ſcribarum licitum fuit variare vocales illas, quas vocant Rab-

Rabbini *lectionis matres*, quin aliquæ certæ remanſerint, ex quibus vera diſcerni poſſet lectio. Verùm tamen eſt, ut annotavit Aben Eſra, ſæpius hac in re à ſcribis pro arbitratu ſuo variatum fuiſſe, adeoque inutilem eſſe Maſoretharum laborem, qui tam anxiè vocales illas ſeu literas Aleph, Vau, Jod numerarunt, cùm earum præſentia & abſentia ſæpè nihil faciat ad ſenſum. Inde ortum eſt ut locis quàmplurimis Samaritæ idem prorſus legant in ſuis Codicibus, quod Judæi in Judaicis Exemplaribus; etſi vocales illæ diverſâ ratione in Samaritics & Judaicis libris notentur. Simonius tamen agnoſcit, hinc etiam factum fuiſſe ut ipſimet Judæi diverſis temporibus Codices ſuos diverſâ ratione legerint: idemque Simonius obſervat, fruſtra Judæos Maſoram ſuam ſeu lectionis ſuæ uſum opponere; cùm etiam LXX. & alii Interpretes ante illorum tempora Maſoram ſuam ſive legendi rationem habuerint. Quæ lectionis diverſitas traditioni ſeu lectionis receptæ uſui nequaquam officit; quia hæc eſt ſors linguarum nationum Orientalium quæ ſcribunt per compendia: neque magis ob hanc cauſam accuſandi ſunt Judæorum Codices quòd muti ſint, quàm Chaldæorum, Syrorum, Arabumque libri. Iſtæ enim linguæ ſuas quoque vocales habent, quæ ſunt, ut ita loquar, lectionis matres, quæque haud infrequenter pro ſcribarum lubitu adjiciuntur & omittuntur; quia eas tantùm adjiciunt quas ad lectionem vocum ſufficere exiſtimant.

Aben Eſra.

Præterea Simonius ex eo probaverat Judæis ſuas quoque non deeſſe voca-

les, quòd aliarum gentium linguas ſuis characteribus exprimant. Sic habent libros Græcos, Hiſpanicos, Germanicos, alioſque literis Ebraicis deſcriptos. Sed regerit Voſſius, in iſtis, præter Aleph, Vau, Jod, etiam puncta vocalia exprimi. Hoc quidem verum eſt, & à Simonio obſervatum fuit, qui voces quaſdam ex iiſdem libris proferens ſine punctis illis vocalibus, eas expeditè legi poſſe demonſtrat, adeoque in iſtis vocibus inutilia eſſe puncta vocalia. Illud omne confirmari poteſt autoritate Sabaïtarum, qui in libris ſuis Chaldaico ſermone conſcriptis ſingulis fere conſonantibus vocales adjungunt, quibus haud dubiè literæ Aleph, Vau & Jod genuinæ ſunt vocales; & in hoc à reliquis Orientis populis differunt, quòd linguam ſuam quæ Chaldaica eſt minùs compendiariò ſcribant. Europæos quoque rident nationes illæ Orientis, quòd linguæ Græcæ, Latinæ & aliarum vocabula nequeant legere, niſi omnibus ſuis vocalibus inſtructa ſint.

Sabaïtarum libri.

Jam Voſſius putat ſe efficaciter ex eo demonſtraſſe, puncta vocalia Codici Ebraico ineptiſſimè & nullo judicio appoſita fuiſſe à Maſorethis, quòd Chriſtus & Apoſtoli diverſâ planè ratione Patriarcharum & Prophetarum nomina legerint, atque Judæi recentiores. Sed optimè reſpondit Simonius, hanc ſcriptionis diverſitatem rejiciendam eſſe in Judæos diverſarum regionum diverſarumque ætatum, qui eadem nomina Ebraica eodem planè modo ſcripta diversè proferunt, quæ ſi in patrium ſermonem transferantur, ſcribuntur quoque diversè: & hæc ſors fuit

omnium linguarum, cùm ne quidem voces Latinæ à diversis populis eâdem ratione pronuncientur. Jam Vossius regerit ista quidem vera esse, sed non ad propositum, cùm non de consonis quæstio sit, sed de vocalibus literis, *in quarum pronunciatione omnes gentes conveniunt*; additque nullos esse homines in quorum ore *Nabuchodonosor* & *Nebuchadnesar* eumdem efficiant sonum.

Sed aurem Batavam profectò habet Vossius, qui hanc etiam sonorum diversitatem in pronunciandis literis vocalibus non percipiat. Audiat Anglos Latinè loquentes, qui etiam in vocalibus pronunciandis magis Anglicè loqui videntur quàm Latinè, apud quos videlicet litera vocalis *a* sæpè sonat ut *e*. Galli præterea & Hispani hac etiam in re differunt. Sed ut ad Orientis nationes veniam; in uno sermone Arabico pronunciando Turcæ & Arabes diversè literas vocales pronunciant, etsi illas iisdem punctis notatas legant. Suam quoque Maronitæ habent ejusmodi vocalium propriam pronunciationem. Hanc etiam in Syriaco sermone pronunciationis literarum vocalium discrepantiam licet animadvertere: nam etsi voces notentur iisdem punctis vocalibus, tamen ubi Maronitæ legunt *o*, Nestoriani legunt *a*, imitati Chaldæos. Judæi ipsimet Grammatici certant de genuino punctorum vocalium sono: ita punctum Cames alii sono rotundiori pronunciant & quasi *o*; alii ore magis aperto & ferè ut *a*. Quare facilis fuit vocis *Nabuchodonosor* in *Nebuchadnesar* permutatio in linguis Orientalibus, cùm tam inconstans sit apud Orientis populos literarum vocalium pronunciatio. Sed qui hæc ignoravit Vossius ex tripode pronunciavit, Simonium nihil retulisse quod ad quæstionem faceret.

Objecerat Simonius, Vossium non intellexisse Judæorum pronunciatum, qui affirmant Scripturam habere LXXII. facies sive sensus; quia constat etiam Judæos agnoscere unum sensum simplicem, seu, ut vocant, literalem; alii autem sensus allegorici sunt & cabbalici, ex quibus nemo sano præditus judicio concludet inconstantem esse apud Judæos Scripturæ lectionem. At sensus allegorici, regerit Vossius, sunt etiam sensus. Verum est; sed sunt sensus allegorici, qui tot sunt, ut rectè annotavit Simonius, quot otiosi Magistri possunt comminisci. Addit, sensus etiam simplices, seu, ut vocant, literales LXXII. quoque esse, si LXXII. consulantur Magistri; neque solùm Rabbinos, sed & Christianos complures multiplicem probare interpretationem. Fateor; verùm istud nihil facit ad rem: nam ubi verba Contextûs obscuriora sunt, licet semperque licebit Interpretibus Scripturæ novas indagare expositiones, quæ in Codicis Ebraici eversionem trahi non possunt. Scriptorum enim omnium sors communis est, ut illorum verba diversis modis interdum exponi possint. Quam obscuritatem potissimùm libris Ebraicis tribuit Simonius. Sed hæc verborum obscuritas efficit tantùm interpretationis diversitatem, non varietatem lectionis.

Iterum in solitas declamationes relabitur disertulus Vossius, aitque in Simonii scripto nihil inveniri præ-

ter

ter frigidas cavillationes sine ullo ordine & judicio. Hac ratione respondet Simonio objicienti Vossium ubique afferre quæ sint planè inutilia & extra propositum. Quippe hîc contendit LXX. Seniores appellari Prophetas, quia sunt Interpretes, cùm προφητεύειν idem sit quod interpretari. At rectè illum monuerat Simonius, hîc non agi de ejusmodi Prophetis; sed de hominibus Spiritu Sancto afflatis, quales fuisse LXX. Seniores Vossius putavit: & quia nunquam ferit scopum, iterum regerit, à Christo & Apostolis omnes eos Prophetas appellari, qui S. Scripturas intelligunt & rectè interpretantur: sed pergit ineptire Vossius, cùm de hisce Prophetis non instituta fuerit quæstio.

Præterea, ut excellentis sui judicii vim ostendat bonus Vossius, sic ratiocinatur. Si idolorum cultores sæpè in Sacris Literis appellantur Prophetæ, multò magis hoc nomen conveniet veris Dei sacerdotibus, scilicet LXX. Interpretibus. Potuit etiam addere, nugatoribus & impostoribus, quales sunt novi Prophetæ Vossiani. Sed ista nihil quoque faciunt ad institutum, cùm de veris Prophetis & Spiritu Sancto afflatis quæstio instituta fuerit. Si autem alios non agnoscit Prophetas quàm Interpretes & idolorum cultores, actum est de Prophetia & de Sacrorum Librorum divinitate. Argumentum quod sumit à Scribis qui res Ebræorum chartis committerent, quique, teste Simonio, Prophetæ fuerint & à Deo inspirati, nihil etiam facit pro adstruenda LXX. Interpretum Prophetia: quia, uti jam observatum fuit, alia est ratio eorum qui res divinas scripserunt; alia ratio eorum qui illas ex Ebraicis fecerunt Græcas. Illos Divino Spiritu afflatos fuisse necesse est; his verò linguæ Ebraicæ & Græcæ cognitio sufficiebat, ut libros Ebraicos in Græcum sermonem converterent.

Objectat Vossius, Simonium semper relabi in Hieronymum suum, quia non alium præter illum sistere potest testem sublatæ à LXX. Interpretibus Prophetiæ. Sed unum proferat testem Vossius è priscis Ecclesiæ Patribus, qui artem criticam, de qua in præsentia agitur, feliciùs tractaverit quàm Hieronymus, qui fictas illas LXX. Interpretum ædiculas, quas Justinus Martyr & alii Patres cum Judæis admirati sunt, etiam sustulit: neque hodie inveniuntur homines qui Judaicis istis commentis fidem habeant. Cur igitur Vossius similiter non credit, recte quoque ab eodem Hieronymo sublatam fuisse LXX. Interpretum Prophetiam, quæ non alios quoque autores habeat quàm Judæos illorum temporum? In rebus criticis paucorum qui judicio polleant sententia multorum hominum testimoniis sæpius præferenda est.

Simonius rectè confecerat Beatum Stephanum ultimam suam concionem non Græcâ, sed Syriacâ linguâ, quæ Hierosolymis tunc erat vernacula, absolvisse; verisimilem quoque esse Hieronymi opinionem, qui existimavit Stephanum in illa concione testimonia Veteris Instrumenti produxisse ex Ebraicis Codicibus. Jam, quid ad hæc Vossius? Respondet non opus esse fingere, cùm hodie supersint ipsa Stephani verba quæ

Græca sunt, & loca Scripturæ conveniant cum LXX. Interpretibus, non autem cum Judæorum libris. Miror belli istius Critici judicium. Simili ratione dixerim Christum, quem Syriacè cum muliere Samaritana collocutum esse ipse Vossius agnoscit, Græcè locutum fuisse, quia illius verba Græcè referuntur ab Euangelista. Sed quid pluribus opus est? Lucas ipse autor Actuum Apostolorum testatur se hanc historiam Græcè scripsisse, simulque sermonem Hierosolymitanorum Judæorum vernaculum fuisse Syriacum. Sic Cap. 1. Actuum, vers. 19. agri Judæ mentionem faciens, dicit illum linguâ Hierosolymitanorum vernaculâ, τῇ ἰδίᾳ διαλέκτῳ αὐτῶν, appellatum fuisse *hacèldama* sive agrum sanguinis. Jam extra controversiam est, voces *hacel dama* Syriacas esse seu Chaldaicas.

Rectè quoque ab Hieronymo observatum fuit, Stephanum in concione quam habuit ad Judæos Hierosolymitanos non aliis usum fuisse testimoniis Scripturæ, quàm iis quæ deprompserat ex Ebraicis Exemplaribus; quia videlicet tunc Hierosolymis, uti demonstratum fuit, Judæi Legem Mosis aliosque Scripturæ libros ex avita Patrum suorum traditione legebant Ebraicè, non Græcè.

Instat Vossius, aitque fieri non potuisse, ut Stephanus Ebraicè vel Syriacè locutus fuerit, quia tunc Hierosolymis erant Romani & Græci generis Judæi, Libertini videlicet, Cyrenæi, Alexandrini, Cilices & Asiatici, quibus Græca lingua familiaris erat. Sed quis credat Stephanum ad Hierosolymitanos aliâ linguâ orationem habuisse, quàm illâ quæ Hierosolymis vernacula erat apud Judæos, paucorumque qui Græcè sciebant rationem habuisse? Sermonem autem Græcum Hierosolymis vernaculum apud Judæos non fuisse, sed Syriacum, præter jam allata testimonia, manifestè probant verba Tribuni, Act. 21. quem cùm Paulus vellet alloqui, eum rogat Tribunus, an sciret Græcè, quia scilicet Judæi Hierosolymitani Græcè non loquebantur. Unde etiam eodem Capite legimus Paulum, etsi Græcè sciret, quia Tarsensis erat, Ebraicè, id est Syriacè sive Chaldaicè ad Judæos Hierosolymitanos orationem suam habuisse, qui majus silentium præstiterunt, quòd Ebraicè seu patrio eorum sermone loqueretur.

Vossium malignè Aristeam & alios ætatis illius impostores Judæos cum Mose & Prophetis contulisse meritò objecit Simonius, qui de Judæis tantùm illorum temporum locutus fuerat, quibus solenne fuisse fingere ac falsa scribere nec ipse potest diffiteri Vossius, qui autor est tunc Judæos finxisse libros Adami, Enoch, Sibyllarum & alios complures sub Patriarcharum Prophetarumque nominibus. Id quoque jam olim priscis Scriptoribus suboluisse demonstraverat Simonius Philonis Herennii testimonio, quod refert Origenes. Tamen nihil tale dixisse Origenem contendit Vossius, cujus etiam hîc verba profert, quæ repetam, ut de his æqui judicent lectores. *Fertur & Hecatæi Historici de Judæis liber, in quo adeo probat hujus gentis sapientiam, ut Herennius Philo in Commentariis suis primùm dubitet an hujus Historici id scriptum sit; deinde addat, siquidem* Origen. adv. Cels.

dem ejus est, videri eum corruptum Judæorum persuasionibus, probasseque illorum placita. Jam igitur ab illis temporibus suspicatus est Herennius Philo Hecatæi librum de Judæis ab ipsismet Judæis confictum fuisse; ut etiam his verbis adductus Scaliger existimavit librum hunc supposititium esse.

Iterum ad Origenem venio, Scriptorem sanè in præsenti materia gravissimum. Simonius dixerat in hoc errare Vossium, quòd existimaverit Origenem non alios probasse Codices quàm Græcos LXX. Interpretum, cùm ipse Origenes, referente Hieronymo, in tomis suis Ebraicæ linguæ quæsierit auxilia, etsi in Homiliis suis quas ad vulgum loquitur communem editionem sequeretur. Addit Vossius, Simonium ad suum Hieronymum relabi, ex cujus tamen verbis effici non possit prælatam unquam fuisse ab Origene LXX. Interpretibus Aquilæ Versionem. Sed à quo meliùs Origenis mentem possumus addiscere, quàm ab Hieronymo qui libros illius legit ac perlegit, quique testatur chartas Alexandrinas, id est libros Origenis, marsupium suum evacuasse? Versionem Aquilæ LXX. Interpretibus prælatam fuisse ab Origene non affirmavit Simonius, sed eum illis Interpretibus non ita fuisse addictum, quin etiam ex aliis sæpè auxilium quæreret; idque tam Hieronymi quàm ipsius Origenis verbis demonstratum fuit. Hic enim LXX. Interpretum Codices, quos putavit corruptos, ex Aquilæ, Symmachi ac Theodotionis Versionibus castigare non reformidavit.

Hieron.

Origen. Comm. in Euang. Joann.

Verùm Origenes ipse, inquit Vossius, testatur contrarium in Epistola ad Affricanum, in qua asserit recedendum non esse à terminis quos Christus & Apostoli posuerunt. At quale fuerit Origenis ingenium, & quâ ratione exponenda sint verba illius scribentis Affricano, ostendit Simonius: quippe Origenes in hac Epistola vulgares opiniones sequitur. Itaque doctissimi illius Patris autoritate abusus est Vossius, cujus scribendi rationem non cognovit: ille enim haud infrequenter receptis apud plebem de LXX. Interpretum Versione opinionibus se accommodavit. Rem ita se habere declarat non modò Hieronymus, sed & ipse Origenes, qui Aquilæ, Symmachi & Theodotionis Codices pluribus locis sinceriores esse LXX. Interpretibus lubens agnovit, sique interdum plus sit in illis quàm in Ebræo, non falsitatis Ebraicum Exemplar accusat, uti facit Vossius; contrà notat his locis LXX. Interpretum lectionem tanquam suspectam. Sic Commentariis in Euangelium Joannis, postquàm aliquot nomina in illis restituit ex veritate Ebraica & ex Versionibus Aquilæ, Symmachi & Theodotionis, addit illa suspecta debere esse loca in Græca LXX. Interpretum Tralatione, ubi plura nomina propria enumerantur, quàm in Contextu Ebraico. Hæc enim sunt doctissimi illius Patris verba. Μάλιστα δὲ ὑποπτευτέον τοὺς τόπους τῶν γραφῶν, ἔνθα καταλογός ἐστιν ἅμα ὀνομάτων πλειόνων, ὡς ἐν τῷ Ἰησοῦ τὰ περὶ τῆς κληροδοσίας καὶ ἐν τῇ πρώτῃ τῶν Παραλειπομένων. At contrà Vossius his ipsis locis semper declamitat in Judæos tanquam librorum suorum corruptores, neque aliam istius depravationis

Orig. in Epist. ad Affric.

Origen. Comm. in Joan.

tionis causam affert, quàm quia aliter habent LXX. Interpretes. Longè modestiùs in hoc negotio se gessit Origenes, qui ut hominem criticum & summo præditum judicio decebat, Ebraicos Græcosque Codices committens, plus autoritatis tribuit Ebraicis quàm Græcis qui ex illis sumpti fuerant.

De loco autem Exodi quem hîc Vossius verbosè explicat, sileo, quia nihil facit ad propositum; cùm de Origenis mente quam illustravimus solùm agatur, non de genuina loci istius interpretatione. Quocunque enim modo exponantur verba Exodi, certum est Origenem in suis Commentariis etiam ex aliis Interpretibus quæsivisse auxilia, uti cum Hieronymo Simonius contendit: quodque magis ad rem facit, idem Origenes suspectam interdum LXX. Interpretum lectionem ex illis Interpretibus reformare non dubitavit.

Jam sophistam agens Vossius, quasi ex suggestu declamat adversus Simonium, qui objecerat illum scripta Patrum imperitè tractasse, ac nescivisse quid Patres ex sua sententia affirment, quid ex vulgaribus opinionibus proferant, atque in primis Origenes. Quærit postea quinam sint portentosi illi Aristeæ sermones, cùm in illis quæ vulgò teruntur Exemplaribus nihil tale occurrat. Sed jam annotavit Simonius, ea quæ in historia sua narravit Aristeas, minùs abesse à fabellis & portentis quæ Judæi de Jonathane Chaldæo Interprete confinxerunt, quàm à vera narratione. Ille siquidem ratione haud absimili scribit, eos qui antea Legem Græcè evulgare ausi fuerant, à Deo punitos fuisse. Sic Theopompus, qui voluerat nonnulla ex Lege historiæ suæ inserere, animo turbatus fuit ultra dies triginta: cùmque Deum supplex oraret ut morbi sui causam aperiret, in somno responsum accepit, hoc ei accidisse quòd res divinas evulgare in animo habuisset. Simile quid Aristeas narrat de Theodecte Poëta, cui cùm etiam voluisset ex libro Legis aliquid in suam transferre fabulam, statim visus ablatus est. Has offas quæ crudæ sunt, bonus Vossius concoquit, quia illius stomacho aptæ; quas tamen vix concoqui posse sentiens ipse Aristeas, hæc eodem loco subjicit. Οἴομαι δὲ καὶ πᾶσι τοῖς παραληψαμένοις τὴν ἀναγραφὴν ἄπιστον φανεῖσθαι. *Existimo autem fore ut iis omnibus qui hæc lecturi sunt videantur ea esse incredibilia.*

Arist. de Vers. LXX. Interp.

His & aliis similibus adductus fuit Simonius, ut fidem non haberet Aristeæ narranti minùs credibilia dignaque ætate quâ Opusculum istud à Judæis confictum est. Quare testatur sibi probabilem videri eorum sententiam, qui putant Græcam Versionem nomen LXX. Interpretum sumpsisse à LXXII. Synedrii Hierosolymitani Senatoribus qui hanc suffragiis suis comprobarunt. Quid ad hæc modestissimus Vossius? Totus versus in furorem asserit sic sentire semichristianum Talmudistam; Simonium in ea esse opinione, ut putet Versionem illam, licet approbatam à Senatoribus Hierosolymitanis, *non sinceram esse & legitimam, sed dolosam, perfidam & summa cum astutia ad decipiendas concinnatam*

fuisse

fuisse gentes. Parcendum est ardori Prophetico quo accensus fuit bonus Christianus Vossius, qui tunc de refellendo semichristiano illo Talmudista cogitavit. Nemo est qui pluris fecerit Græcam LXX. Interpretum Versionem quàm Simonius, qui etiam Vossium laudaverit, quòd illam à maledicentissimorum hominum calumniis asserere conaretur: non eam tamen Divinam esse & Propheticam existimavit. Si semichristianus Talmudista in hoc solùm peccavit, quòd dixerit Versionem istam à Synedrii magni Sacerdotibus approbatam fuisse, non video cur tot maledictis illum lacessiverit Vossius: inde enim magna illi conciliatur autoritas. Sixtus Senensis vir doctus libri secundi Maccabæorum divinitatem arcessit potissimùm ex illorum Senatorum suffragiis. Hæc sunt illius verba. *Jason Cyrenæus natione Judæus verax & disertus historiarum Scriptor scripsit Græcâ & copiosâ dicendi ubertate de gestis Maccabæorum Principum libros quinque, quos ob eximiam narrationis fidelitatem Senatus Populusque Hierosolymitanus jussit in parvam redigi Epitomen, quæ nunc inter cæteros Divinæ Scripturæ libros annumeratur, parique cum eis veneratione suscipitur, & secundus Maccabæorum inscribitur.* Itaque Sibyllino furori quo tunc percitus fuit Vossius, tribuo hæc quæ mox subjicit verba. *Quâ verò ratione factum sit, ut in perfida & fraudulenta Sacrarum Literarum procudendâ Versione conspirarint omnes isti qui Synedrium magnum constituerent Judæorum Prophetæ, id non explicat P. Simonius, sed similitudine declarat.* Id quidem non explicat Simonius, quia tale quid nunquam commentus est. Similitudo autem quam sumit ex Versione vulgari Latina, quæ sapienter à Patribus Concilii Tridentini approbata est, mirè facit ad propositum; quia de Græca Tralatione agitur, quæ apud Judæos Hellenistas authentica facta est, postquàm talem eam declararunt Synedrii magni Assessores; sicut apud Christianos Ecclesiæ Occidentalis Versio Latina facta est etiam authentica Patrum Tridentinorum decreto. Par est utrobique ratio; quia non agitur de S. Scripturarum libris, qui extra controversiam Divini sunt & Canonici; sed de illorum Versione, quæ ideo Divina non est & ab omnibus mendis repurgata, quòd authentica declarata fuerit: de hoc enim nunquam cogitarunt Tridentini Episcopi, neque etiam Summi Pontifices Sixtus V. & Clemens VIII. qui curarunt tantùm ut Latinum Exemplar quàm emendatissimè ederetur. *Sed certè*, inquit Vossius, *non consensissent Patres Tridentini in approbanda hac Versione, nisi eam optimam judicassent.* Bene quidem arguit: hanc enim optimam esse existimavit Simonius; sique idem de ea judicium ferret Vossius, non tot maledictis illius autorem Hieronymum lacesseret. Verùm, ex eo quòd Synodus Tridentina vulgarem Editionem Latinam cæteris Versionibus Latinis prætulerit, & eam definierit authenticam, non sequitur eam quoque esse Divinam; quia de Versione agitur cujus autor Propheta non fuit, sed Interpres; minimè verò de ipsius Scripturæ libris, quos Divinos

Sixt. Sen. Biblioth. Sanct. lib. 2.

eſſe Synodus Tridentina declarare potuit, non tamen ipſos facere Divinos.

Ab eodem furore Sibyllino profectum eſt illud quod Voſſius argumentum ſuum non proſequens ibidem Simonio objicit; eum videlicet exiſtimare, nos non habere ſcripta Prophetica Veteris Teſtamenti integra, ſed ampliata, decurtata, & variis modis pro lubitu & ratione temporum à Sacerdotibus magni Synedrii interpolata. Furor ſanè Propheticus facit ut bonus Voſſius tam deſultoriè ſcribat & argumentetur. Quia verò eadem nonnullis interjectis repetit, totum hoc negotium iſto loco reſumam. Satis erit in præſentia adverſus Voſſium ea regerere quæ Simonio objicit, qui nihil prorſus mutationis Scripturæ libris accidiſſe putat, ex eo tempore quo in publicum editi ſunt & in Canonem relati, niſi ea quæ in librariorum incuriam poteſt rejici. Contrà Voſſius Criticam ſacram tractans ſine judicio autor eſt, S. Literarum fontes conſultò à Judæis & Samaritis depravatos fuiſſe odio Chriſtianæ Religionis; genuinam Scripturam petendam eſſe à Græca LXX. Interpretum Tralatione, quæ jam ante Origenis tempora mutila erat, decurtata & ampliata. Viderit igitur Voſſius, quâ ratione affirmare potuerit Simonium ſcripta Prophetica Veteris Teſtamenti protuliſſe non integra, ſed decurtata & ampliata, cùm firmiſſimis rationibus probaverit, Judæos nunquam ſuos Codices corrupiſſe, oſtenderitque imperitum eſſe Criticum Voſſium, qui hoc auſus ſit affirmare. Conſtat LXX. Interpretes, in libris maximè Prophetarum, decurtatos fuiſſe etiam ante Origenem, qui decurtatis iſtis locis quæſierit auxilia ſeu ſupplementa ex ſemichriſtianorum Verſionibus. Præterea Hieronymi tempore Daniel Propheta non ex LXX. Interpretibus, ſed ex Theodotione legebatur in Eccleſiis.

Tranſit poſtea ad linguam Helleniſticam Voſſius, objicitque Simonium linguam hanc ſepultam & ad inferos miſſam denuò ſuſcitare. Sed jam reſponderat Simonius, Salmaſium hac in re de nominibus ſæpè diſputaſſe: etſi enim pleræque voces quibus utuntur LXX. Interpretes Græcæ ſint, novas tamen illis poteſtates affingunt interdum ex præſumptis opinionibus. Similiter quando verba Ebraica ita reddunt, ut verbum de verbo exprimant, minùs Græcè loquuntur; & hoc Simonius vocavit κακοζηλίαν ſeu pravam affectationem Judæis Interpretibus familiarem, quæ etiam interdum in LXX. Interpretibus occurrit. Sic, dum quaſdam præpoſitiones ex Ebræo faciunt Græcas, retinent dictionem Ebraicam: exempli cauſâ, ſermo Ebraicus comparativum exprimit per מִן, quod LXX. cum Aquila haud infrequenter reddunt ἀπὸ, *ab*. Tunc iſta κακοζηλία ſenſum efficit obſcurum. His accedit, LXX. Interpretes tribuere etiam interdum verbis Græcis poteſtates quas ſumunt ex ſermone Syriaco; quia ſermo Syriacus ſeu Chaldaicus tunc Judæis erat vernaculus, ita ut his & ſimilibus locis difficile ſit eorum mentem expiſcari: unde factum eſt, ut ipſe Voſſius, qui ſe Græcè ſcire putat,

putat, miris modis ſe contorqueat ut explicet verbum τηρήσει, Cap. Geneſ. 3. accuſavit enim librarios, quaſi contra omnium Codicum autoritatem legendum ſit τεῆσι. Demum factus oculatior vulgarem lectionem quam improbaverat, retinendam eſſe cenſet : quia jam ab aliis annotatum fuit, verbum τηρέω etiam ſumi in malam partem, ac ſignificare quoque *obſervare*, *inſidiari*. Verùm ſi Græcum eſt verbum τηρέω ſumptum hoc ſenſu, cur Voſſius qui ſcit Græcè in re tam obvia modò ait, modò negat, ſecumque manifeſtè pugnat ? Cur non alios hujuſce rei profert teſtes, quàm ipſoſmet LXX. Interpretes, vel Scriptores Eccleſiaſticos, qui ſæpius ut ſenſum vocum Græcarum quæ occurrunt in LXX. exponant, recurrunt ad Aquilam & alios Interpretes ? Hoc quidem loco exiſtimaverim, vulgarem lectionem Græcam τηρήσι retinendam eſſe, ſed illius ſenſum ex lingua Helleniſtica petendum, quia LXX. Seniores tunc attenderunt ad verbum נטר, quod interdum apud Syros & Chaldæos in malam partem ſumitur. Hæc, quia ſæpius in Græca LXX. Interpretum Verſione occurrunt, Patres Græci tunc alios Interpretes Græcos conſulunt, ut eorum beneficio LXX. Interpretum mentem faciliùs aſſequantur. Verba quidem illa Græca eſſe nemo dubitat ; ſed quæſtio eſt, utrùm notiones quas illis affingunt LXX. ſemper ſint Græcæ.

Præterea voceſ eſſe tam in LXX. quàm in Novo Teſtamento, quæ minùs Græcæ ſint, dudum obſervavit Hieronymus ; adeoque nupera non eſt ac ficta lingua illa Helleniſtica : quippe Græcè ſciebat Hieronymus, qui etiam illas voces novas tuetur adverſus diſertulos quoſdam ætatis ſuæ homines, qui notabant LXX. Interpretes quaſi minùs Græcè loquerentur, iiſque, ut loquitur Hieronymus, *de novitate & vilitate ſermonis* illuderent. Hos, quos Hieronymus *diſertos ſeculi* appellat, ex eo in primis arguit, quòd LXX. Interpretes de Ebræis difficultatibus proprietates exprimere conati ſint. Hæc eſt κακοζηλία illa quam rectè Simonius cum Hieronymo tribuit LXX. Senioribus : adeoque malè reprehenditur à Voſſio qui ſcopum nunquam ferit, quaſi relictâ linguâ Helleniſticâ tranſierit ad κακοζηλίαν Judaicorum Interpretum, nec tamen addiderit de quibus Interpretibus loqueretur : nam eodem loco verbis expreſſis affirmat Simonius, ſe non tribuere LXX. Interpretibus Græci ſermonis imperitiam, ſed tantùm κακοζηλίαν. Voſſius, cui nihil ſolidi ſubeſt quod reſpondeat, ſemper quærit effugia.

Hieron. Comm. in Epiſt. ad Gal.

Neque etiam Auguſtino videtur ignota fuiſſe lingua Helleniſtica : ille enim expendens verba illa Levit. Cap. 22. ut leguntur in Itala, *Cùm adimpleti fuerint dies purgationis ejus ſuper filio aut ſuper filia*, hæc addit : *Meritò quidam noſtri ita interpretati ſunt iſtum in Levitico locum, ut non dicerent ſuper filio aut ſuper filia, ſed pro filio aut pro filia : hanc enim vim hujus præpoſitionis eſſe intellexerunt hoc loco, ubi Græcus ait* ἐφ' υἱῷ ἢ ἐπὶ θυγατρί. Sic quidem in Vulgata reddidit Hieronymus ; neque aliunde vis illa præpoſitionis Græcæ ἐπὶ ſumpta

ſumpta eſt, quàm ex Ebræo ל, quod hoc loco idem eſt atque על: conſtat autem, על apud Ebræos ſignificare *ſuper* & *pro*.

Quæ autem eodem loco ſubjicit Voſſius de verbo ἑλληνίζειν, quaſi ſignificet partes Græcorum aſſerere, ea non eſſe ad propoſitum rectè animadvertit Simonius, cùm de hac vocis iſtius, quæ plures habet ſignificatus, notione minimè agatur; aitque Simonius, perinde eſſe ac ſi quis de Voſſio dixerit eum eſſe Criticum & Canonicum. Sic verbum ἑλληνίζειν poteſt ſignificare partes Græcorum ſequi; ita tamen ut ſignificet etiam loqui Græcè. Hîc de prima ſignificatione non agitur; ſed de ſecunda. Jam fuiſſe Græcos qui Græcè loquerentur non inficias ierit Voſſius, qui velit non aliam fuiſſe linguam Judæis omnibus qui erant in Imperio Romano, quàm Græcam. Cùm autem firmiſſimis rationibus demonſtraverit Simonius, fuiſſe etiam Judæos qui Chaldaicè ſive Syriacè loquerentur, maximè Hieroſolymis & in locis vicinioribus, optimè confecit Judæos illos qui ἑλληνίζουσι, diſtingui ab aliis, quòd Græcè loquerentur.

Iterum in ſolitam λογομαχίαν relabitur Voſſius, qui Simonium arguit quòd Rabbinos appellaverit Doctores recutitos, quam vocem notat ut ineptam; quia illâ denotantur Judæi qui ſoliti fuerint ſibi præputium adducere. Sic, quia minutus eſt Criticus Voſſius, de verbis diſputat cùm rationes deſunt; cùmque ſit lepidulus, rogat Simonium ut oſtendat recutitos peculiarem habuiſſe linguam & diſtinctam ab aliis Judæis. Si liceat cum Voſſio ſectari minutias, dixerim non ita certam eſſe vocis iſtius notionem, quin plerique Grammatici & Lexicographi recutitum idem eſſe agnoſcant atque circumciſum, ſeu eum cui reciſa eſt cutis vel præputium. Miror tamen Voſſium de vocibus ineptis lites intendere, cujus libri vocibus & phraſibus verè ineptis & minùs Latinis abundant, quarum amplam meſſem facile ſit colligere. Quodque in iſto homine Latino mirabilius eſt, vocabulum quod hodie ipſi Latinum eſt, cras Latinum non erit. Sed mitto iſta, quia leviora ſunt. Satis eſt dixiſſe Voſſium in prima libri ſui de LXX. Interpretibus periodo, *ſcientias* in plurali uſurpare: at qui Latinè loquuntur dicunt *diſciplinas*, vel quid ſimile. Cætera non lubet perſequi, quòd non ſint ad propoſitum.

In verbis Geneſ. Cap. 1. εἰς ἀρχὰς τῆς ἡμέρας, dixerat Simonius ancipitem ſibi videri LXX. Interpretum Verſionem, quia vox ἀρχὴ principium & principatum ſignificat: diligentis autem eſt Interpretis vitare amphiboliam ſive ambiguitatem. At regerit Voſſius, debuiſſe quoque Chriſtum & Apoſtolos carpi, qui paſſim ſimiliter loquantur. Sed in hoc errat Voſſius, qui putet Chriſtum & Apoſtolos Græcè in Novo Teſtamento locutos fuiſſe, quia eorum verba ab Euangeliſtis Græcè exprimuntur. Jam obſervaverat Simonius, Novi Teſtamenti phraſim non minùs eſſe Helleniſticam, quàm LXX. Interpretum ſermonem quem imitati ſunt Euangeliſtæ. Rectè quoque animadvertit,

Ori-

Origenem hoc loco convenientiorem judicasse Aquilæ interpretationem: sic quoque passim alii Patres, maximè Græci, laudant Aquilæ, Symmachi & Theodotionis Versiones uti minùs obscuriores quàm sit LXX. Interpretum Tralatio, quos etiam relinquunt in suis Commentariis. Potuit igitur tam hîc Simonius quàm aliis locis LXX. accusare ambiguitatis & obscuritatis, præeuntibus sibi Græcis Patribus.

Quod verò ait Vossius, unicum Aquilæ studium fuisse invertere ordinem verborum quem LXX. posuere, ut hâc ratione sensum Scripturæ obscuraret, ac hoc loco posuisse ἐξουσίαν, quia LXX. posuere ἀρχάς, illud non facit ad institutum; imò in ipsum Vossium regeri potest, cùm Græci illi Patres, qui relictis LXX. Interpretibus sequuntur interdum Aquilam, quia his locis Versio illius clarior est, declarant manifestè eumdem Aquilam non eo consilio invertisse ordinem verborum quem LXX. posuere, ut Scripturæ sensum obscuraret, sed magis ut illum redderet explicatiorem. Ineptè igitur Vossius huc transtulit duos hosce versiculos,

> *Omnia enim stolidi magis admirantur amantque*
> *Inversis quæ sub verbis latitantia cernunt.*

nisi dicat ineptos esse Patres & stolidos, qui passim in suis scriptis observant Aquilam & alios Interpretes Græcos verba Ebraica clariùs ac dilucidiùs vertisse quàm LXX. Seniores. Nugas igitur hîc ubique agit Vossius. Pergit quoque ineptire, ubi ait illum esse Aquilam quem deperit Simonius, & quo præcipuè duce novam S. Literarum meditatur editionem. Norunt qui Criticam Sacram Simonii legerunt, eum longè aliam veri Sacrarum Literarum Interpretis ideam effinxisse, quàm illam quam ei tribuit Vossius.

Verba Genes. Cap. 3. vers. 14. Ἐπικαθάρατος σὺ ἀπὸ πάντων τῶν κτηνῶν, obscura esse notaverat Simonius, quia voces Ebraicas pressiùs exprimunt, & מִן, quod apud Ebræos nota est Comparativi, vertunt ἀπὸ, *ab*. Contra hæc regerit Vossius, ἀπὸ non sumi comparativè; sed hîc esse Prosopopoian, Deumque imprecari serpenti, ut eum animalia omnia maledictis incessant. Verùm ista dici comparativè res ipsa loquitur; unde etiam in Vulgata habetur, *Maledictus es inter omnia animantia*: nam præpositio מִן, quam etiam retinent Chaldæus, Syrus & Arabs, significat *præ*, & Latini Interpretes istarum Versionum omnes cum Vulgata concordant in exprimenda hac præpositione. Fecit etiam illa præpositionis Græcæ ἀπὸ apud LXX. ambiguitas, ut interdum Interpres qui ex Græco Scripturam fecit Arabicam, vertat ἀπὸ *plus quàm*, etiam ubi illa non sumitur comparativè. Ut ista ambiguitas tollatur, meliùs redditur ὑπὲρ, *super*, uti Simonius annotavit in *Castigationibus*: sic enim ibi legendum est, non ὑπὸ: quo etiam modo LXX. Interpretes haud infrequenter vertunt מִן Ebraicum. De verbo autem τηρέω & τηρήσεις jam supra egimus.

Negat præterea Vossius, navem

ex asseribus seu tabulis construi; sed ex arboribus quadratis construi affirmat, huncque esse sensum verborum Genes. Cap. 6. vers. 14. Ποίησον σεαυτῷ κιβωτὸν ἐκ ξύλων τετραγώνων. *Fac tibi arcam ex lignis quadratis:* & quia peritus est naupegus, solusque scit quid rei sit navis, fingit arbores quasdam quadratas fabricæ navali aptissimas, quia materiem simul & resinam seu picem ad unguendas naves exhibeant. Sed manifestum est, apud LXX. Interpretes nomine lignorum quadratorum nihil aliud intelligi quàm oblongos asseres ex quibus naves construuntur; quàm expositionem confirmat Latinus Interpres, qui habet *Fac tibi arcam ex lignis lævigatis*, id est, ex complanatis asseribus.

Malignè Vossius objecerat, Simonium de Veteris Testamenti Scriptoribus idem sentire quod sensit Spinosa. Nunc Simonium rogat, cur id ægrè ferat, cùm eos faciat ipso Spinosâ indoctiores, qui libros Scripturæ Sacræ statim tribuendos esse existimant illis quorum nomina præferunt. Quia verò Simonius sententiam suam Theodoreti aliorumque Patrum testimoniis confirmaverat, regerit Vossius nihil occurrere in Theodoreto & in aliis Patribus quod non libenter legant & approbent Christiani: qua in re iterum bonus ille Christianus malignitatem suam & imperitiam ostendit, qui de Patrum scriptis, quos nunquam ipse legit, pronunciare audeat. Constat Theodoretum & complures alios Patres, doctissimosque ætatis nostræ Theologos in ea esse sententia, ut de Autoribus multorum Veteris Instrumenti librorum nihil certi affirmari possit, uti pluribus verbis ostendit Sixtus Senensis & alii qui hoc argumentum tractarunt. De quibus libris à Gregorio Magno Summo Pontifice egregiè dictum est, *Quis hæc scripserit valde supervacuè quæritur, cùm tamen autor libri Spiritus Sanctus fideliter credatur.* Itaque Simonius rectè observavit Spinosam imperitum esse malignumque hominem, qui ex iis quæ in confesso sunt apud præstantissimos Ecclesiæ Catholicæ Theologos, autoritatem Sacrorum Librorum conetur evertere. Simonius censuit refellendas ac damnandas esse impias quas Spinosa inde ducit consecutiones, quæque manifestè falsæ sunt. Sic firmis demonstravit rationibus ejusdem Spinosæ imperitiam in iis quæ de Scriptore Pentateuchi effutiit; probavitque istum hominem S. Literas non intellexisse. Dubitavit Augustinus, an Josue sit Autor libri qui nomen ejus præfert: Theodoretus hoc ipsum negavit apertè: jam quis inde concludat Augustinum & Theodoretum consentire cum Spinosa? Similiter doctissimi Theologi ante centum annos affirmarunt plures esse in rebus chronologicis errores tam in Ebraicis Scripturæ Sacræ Codicibus, quàm in Græcis & Latinis. Spinosa, qui idem quoque sentit, sumit inde malignè rationes in eversionem Sacrorum Librorum. Jam quis inde conficiat, nisi maledicentissimus Vossius, gravissimos illos Theologos in hoc negotio cum Spinosa conspirare ut Sacras Literas evertant? Rectè igitur dixit Simonius, illos esse Spinosâ indoctiores, qui libros Scripturæ Sacræ putant statim tri-

Gregor. M. Præf. in lib. Job.

Augusſt.

Theodor.

tribuendos esse iis quorum nomina præferunt. Imperitus quoque disputator est Vossius, qui hâc arte Spinosæ argumentis vires addat.

Pergit Vossius invidiam creare Simonio, qui dixerit præstantissimos Ecclesiæ Theologos in hoc etiam non consentire cum Judæis, qui putent ne unam quidem vocem esse in Lege quæ non sit Mosis. Contrà certum est nonnulla libris Mosis postea addita fuisse ab Esdra vel ab aliis Prophetis qui illos recognoverunt. Rem ita esse manifestè ostendunt Theologorum illorum Commentarii in Scripturam Sacram. Sed Vossius, qui nunquam cessat maledictis suis B. Hieronymum lacessere, autor est illum esse unum ex vetustis Ecclesiæ Patribus qui id affirmare ausus fuerit, quasi libri Mosis ab Esdra interpolati fuerint. Iterùm maligno carpit animo Vossius Simonii verba, qui dixerit non constare utrùm Moyses ipse eam quam sub ejus nomine habemus historiam totam literis mandarit, vel ex parte à Notariis illis publicis qui res ætatis suæ conscribebant, chartis excipi jusserit. Mirè sibi applaudit hac in re mirificus Vossius, quasi novos Scribas Prophetasque finxerit Simonius. *Valeant*, inquit, *isti quos P. Simonius fingit Notarii : valeant quoque omnes isti commentitii Scribæ & Prophetæ interpolatores & insessores Sacrorum Librorum.* Jam tempus est ut totum istud negotium excutiam, ostendamque commentitios non esse Scribas illos seu Prophetas qui apud Ebræos gesta Reipublicæ chartis commiserint, adeoque maledicum esse Vossium, qui cùm tam imperitè Patrum scripta tractaverit, audeat quoque sententiam ferre de rebus parum sibi cognitis.

Scribas publicos apud Ebræorum gentem fuisse Regum suorum temporibus, notius est quàm ut probetur. De Mosis tempore longè major est difficultas, cùm de illis publicis Scriptoribus nihil in Pentateucho haberi videatur; unde factum fuisse puto, ut nonnulli ætatis nostræ Theologi, qui illos sub Regibus Ebræorum fuisse lubenter agnoscunt, negent tales Scribas extitisse sub Mose. Verùm ut credam inde jam à priscis illis temporibus apud Ebræos fuisse Prophetas qui res gestas in Acta publica referrent, Josephi verbis adversus Apionem adducor. Ille enim ex eo potissimùm Judæorum historiis fidem conciliat, quòd apud Ebræos ab ipsius Mosis temporibus viri fuerint qui res gestas literis commendarint. Contrà, Græcos nihil firmi in suis historiis habuisse, ex eo in primis arguit, quòd illi publicos Annalium Scriptores à priscis temporibus non constituerint, quos etiam agnoscit apud Babylonios & Ægyptios. Numenius quoque apud Eusebium, Jannem & Mambrem Ægyptiorum Magos qui olim Mosi adversati sunt, appellat ἱερογραμματεῖς, sive rerum sacrarum Scriptores. Sic etiam primis temporibus apud Romanos, referente Cicerone, Pontifex Maximus res omnes singulorum annorum chartis mandabat. Quâ ratione Josephus affirmat curam hanc penès summos Pontifices & Prophetas Ebræorum extitisse. Munus scilicet illud apud Ebræos injunctum fuit Summo Pontifici & Sacerdo-

Joseph. adv. Apion. *Numen. apud Euseb. Præp. Evang. lib. 8.* *Cicero.*

cerdotibus, qui, quòd essent Divino Spiritu afflati, vocabantur Prophetæ.

Ex his publicis ac Propheticis conscriptionibus excerpti sunt quinque libri Mosis, qui ex eo Mosis nomen reportarunt, quòd partim ab ipso scripti fuerint, partim eo jubente ab ætatis illius Notariis. Norunt qui Sacras versant Literas, pleraque in illis Deo & viris principibus tribui, quæ illorum mandato facta sunt; quo sensu Pentateuchus, cujus pars à publicis Scriptoribus in publicas conscriptiones relata fuit, totus Mosi tribuitur, qui etiam Propheta illis præfuit; neque minùs de Josua quàm de Mose dicitur, illum scripsisse librum suum: non ausus tamen est Augustinus asserere Josuæ historiam quæ edita est, ab ipso Josua conscriptam fuisse. Theodoretus Josuam illius autorem esse negat apertè. Quare à nonnullis Patribus rectè animadversum fuit, ex libri nomine non necessariò ejus autorem colligi, sed materiam.

Simili ratione libri qui Judicum, Samuelis ac Regum nomina præferunt, à Scribis seu ætatum illarum Prophetis fuere conscripti. Quam locutionem, quæ sacris Scriptoribus familiaris est, non ignoravit Augustinus, qui explicans verba Exodi, Cap. 17. vers. 5. ubi Deus dicit Moysi ut sumat virgam quâ fluvium ipse Moses percusserat, quærit quomodo illud verum esse possit, cùm non Moyses, sed Aaron virgâ fluvium percusserit. Respondet, *Quod Aaron fecit Moysi potiùs tribuendum est, quia per Moysen Deus jubebat quæ faceret Aaron, & in Moyse autoritas, in illo autem ministerium fuit.* Haud absimiliter, illud quod jubente Mose à Scribis ætatis suæ in Annales relatum fuit, Mosi potiùs tribuitur, quàm Summo Pontifici & Prophetis, quia in Mose fuit autoritas, & in illis ministerium: quo etiam modo explicanda sunt verba illa ejusdem Capitis Exod. vers. 12. quibus Mosi dixisse Deus fertur, ut victoriam quam contra Amalecitas Israëlitæ consecuti fuerant, *scribat in libro ob monumentum*, id est, ut juberet victoriam hanc in Acta publica referri. Eodem quoque Capite dicitur Moses ædificasse altare, non quòd ipse ædificaverit, sed quòd illud jusserit ædificari.

August. Quæst. in Exod.

Jam quia necesse non fuit populo committere ingens Annalium volumen, illorum tantùm compendium in publicum editum est, quod Mosis nomen retinuit. Sic constat librum Sapientiæ non esse Salomonis eâ quâ nunc est formâ dispositus, etsi in hoc nonnulla sint quæ in solum cadant Salomonem, eumque Salomoni tribuant omnes antiquæ Ecclesiæ Patres, si perpaucos exceperis. Illa autem quæ in Pentateucho legimus manifestum videntur esse compendium priscorum Annalium, qui in Archivis seu publicis Tabulariis asservabantur.

Ampliora fuisse vetustis illis temporibus rerum gestarum Commentaria verbis apertis testatur summus vir Affricanus & rerum Ebraicarum callentissimus. Ille siquidem apud Eusebium autor est, à Mosis temporibus usque ad Herodem in Archivis descriptas fuisse Ebraicarum familiarum origines, & eorum qui ad proselytos

Affric. apud Euseb. Hist. Eccles. lib. 1. cap. 7.

selytos genus suum referebant. Ἀναγράπτων ἢ εἰς τότε ἐν τοῖς ἀρχείοις ὄντων τῶν Ἑβραικῶν γενῶν καὶ τῶν ἄχρι προσηλύτων ἀναφερομένων. Ibidemque addit Affricanus, Herodem omnia illa vetusta familiarum monumenta concremasse. Ἐνέπρησεν αὐτῶν τὰς ἀναγραφὰς τῶν γενῶν. Ex quibus manifestum est, eas quæ evulgatæ sunt historias & genealogias compendiarias esse, ac remansisse integras in publicis Tabulariis. Quare Simonius rectè annotavit ex Libris Sacris qui supersunt, nihil certi de rebus chronologicis & genealogicis affirmari posse, utpote quæ in breviorem summam contractæ fuerint. Quis enim credat Annales Ebræorum qui ad nos usque pervenerunt res omnes gestas illius gentis complecti? Quod nec Augustino ignotum fuisse videtur, qui quærens quomodo Caïn potuerit condere civitatem, cùm in Scriptura duo tantùm parentes & duo filii referantur; respondet his verbis. *An ideo quæstio est, quoniam qui legunt putant solos tunc fuisse homines quos Divina Scriptura commemorat, nec advertunt eos qui priùs sunt conditi duos, vel eos etiam quos genuerunt tamdiu vixisse, ut multos gignerent? Non enim & Adam ipse eos solos genuit quorum nomina leguntur, cùm de illo Scriptura loquens ita concludat, quòd genuit filios & filias.*

August. Quæst. in Genes.

His igitur & similibus adductus Simonius, rectè confecit Annalium Ebraicorum partem solùm editam fuisse, qui in publicis Tabulariis, quæ tunc consulere facile erat, integri remanserint; adeoque inania sunt & futilia quæ Simonio Vossius objicit de scriptis Veteris Testamenti pro Scribarum seu Prophetarum lubitu decurtatis: nihil enim hac in re affirmavit Simonius, quod doctioribus antiquæ Ecclesiæ Patribus cognitum non fuerit; & eas quas nunc Ebræorum habemus historias compendiarias esse res ipsa loquitur, quæ non possunt dici decurtatæ, cùm tunc in Archivis remanerent integræ, & ex iis illud solùm fuit evulgatum, quod populo sufficere visum est. Totum illud negotium juvat illustrare P. Martinii Jesuitæ verbis de Sinensium Annalibus. *Fuit*, inquit, *& est etiamnum genti huic usitatum, ut doctissimis aliquot Philosophis Imperatoris defuncti res gestæ conscribendæ à successore mandentur, fucis & adulatione omni remotâ. Quod munus apud ipsos cum primis est honorificum & à summis quibusque viris expetitum. Hinc historia Sinica ita sibi semper similis continuatur, ut quanquam ab alio sit atque alio succedentibus annis adducta, unius tamen autoris opus esse videatur, & omnino unicum est, non ab alio quàm regio Scriptore unquam tentata, magnisque & pluribus voluminibus contenta. Inde sibi Sinæ pro memoriæ subsidio epitomen conficiunt, qualem his ipsis libris repræsento.*

P. Martin. Sin. Histor. lib. 1.

Similis fuit apud Ebræos ac Sinenses scribendorum Annalium ratio, nisi quòd apud Ebræos qui Scribæ fuerunt, iidem quoque Prophetæ erant; Scriptores verò Sinensium viri fuere Philosophi veritatisque amantissimi. Distinguendi quidem sunt Sacrorum Librorum Scriptores à cæterarum gentium Scriptoribus; quia illi Spiritu Sancto impulsi Sacros Annales conscripserunt. Sed cavendum est ne hos Annales ad nos cœlitus de-

lapsos esse affirmemus, sicut de libris Alcorani Muhammedani commenti sunt. Longè enim major erit Divinorum Librorum autoritas, & ex iis Christiani nominis inimici faciliùs refellentur, si dixerimus in iis nihil contineri, quod non sit certum depromptumque ex Ebræorum Annalibus, qui inde jam à Mosis temporibus apud illos extiterunt. Hinc potissimum Josephus Judaicarum historiarum veritatem commendat adversus Græcos, quibus objicit Græcarum historiarum inconstantiam, quòd illi publicos rerum suarum Scriptores non habuerint.

Joseph. adverſ. Appion.

Judæi, quia nimii sunt rerum suarum ostentatores, affirmant ne unam quidem vocem esse in Lege, imò ne unam quidem syllabam quæ à Deo Mosi dictata non fuerit. Sic Magistri illi nihil habent nisi à Deo ipso in monte Sinai profectum. Sed rem istam aliter se habuisse docet Scribarum usus inde jam à Mosis tempore confirmatus. Ipse etiam Augustinus ante Mosem Scriptores fuisse apud Chaldæos & Ægyptios videtur agnoscere: ubi enim expendit verba Capitis 21. Numerorum, vers. 14. in quibus fit mentio libri bellorum Domini, hæc habet. *Hîc dictum est scriptum in libro, non dictum est in cujus Prophetæ vel Patriarchæ sancto libro; neque negandum est fuisse jam libros sive Chaldæorum, unde egressus est Abraham, sive Ægyptiorum, ubi didicerat Moyses omnem illorum sapientiam, sive cujuscunque gentis alterius, in quorum librorum aliquo potuit hoc esse scriptum.*

Auguſt. Quæſt. in Numer. Quæſt. 42.

Aliud igitur de Pentateuchi libris sentiebat Augustinus, quàm Judæi sentiunt; Judæisque ipsis illi videntur ineptiores, qui eorum commenta tam avidè arripiunt, quasi non aliunde sumi posset librorum Mosis autoritas quàm ex monte Sinai, & ex eo quòd singulæ illorum voces & syllabæ à Deo Mosi dictatæ fuerint. Satius est viris doctrinâ & judicio præditis fidem habere, qui existimant illos qui Cap. Numer. 21. vers. 27. appellantur המשלים, & in LXX. Interpretibus Αἰνιττόμενοι, fuisse ætatis illius Scriptores; à quorum etiam sententia minùs alienus Augustinus valdè laborat in explicatione vocis *Ænigmatistæ*, quam hoc loco legebat in Itala: hæc sunt illius verba. *Non incredibiliter putantur illi Ænigmatistæ sic tunc appellati quos Poëtas nos appellamus, eò quòd Poëtarum sit consuetudo atque licentia miscere carminibus suis ænigmata fabularum, quibus aliquid significare intelligantur.*

Auguſt. Quæſt. in Numer. Quæſt. 45.

Sunt etiam viri docti & in Sacris Literis versati, qui conjiciant ea quæ Moses scripsit de mundi fabricatione rebusque gestis ante sua tempora, partim ex divina habuisse revelatione, partim ex privatis familiarum Commentariis, vel magis ex Majorum suorum Traditione inde ab Adamo usque ad illius ætatem fideliter transmissâ, uti pluribus verbis exponitur à Pererio Jesuita doctissimo Præfatione in Pentateuchum.

Pererius, Præf. in Pentat.

Præterea Vossius objicit, sequi ex Simonii sententia, *Nos non habere scripta Prophetarum Veteris Testamenti integra, sed ampliata, decurtata, & variis modis pro lubitu & ratione temporum à Sacerdotibus magni Synedrii interpolata.* Et quia paulò delicatior est Vossius, assertionem hanc

ait

ait esse crudam offam quam ipse non possit concoquere; iterumque ut se bonum demonstret Christianum addit, frustra Simonium relegare ad Patres, in quibus nihil occurrit quod non libenter legant & approbent Christiani. Sic bonus ille Christianus, qui bonus non est ratiocinator, fundit verba more Sophistarum. Nihil tamen affirmavit hac in re Simonius, quod antea à priscis Patribus, atque in primis ab Origene in Epistola ad Affricanum, scriptum non fuerit. Ille enim asserit, ex aliorum tamen magis, ut puto, opinione quàm ex sua, Judæos à quibus Scripturas accepimus, nonnulla ex iis resecuisse ac sustulisse à cognitione populi, ἀπὸ τῆς γνώσεως τοῦ λαοῦ, quæ servata fuerint in libris ἀποκρύφοις seu arcanis: nomen enim ἀποκρύφων non sumit hoc loco Origenes in malam partem, sed pro libris qui in publicum non editi in armariis conservabantur. Unde libros ἀποκρύφους sive absconditos opponit φανεροῖς, apertis & manifestis, seu iis qui evulgati fuerant.

Orig. in Epist. ad Affric.

Jam hâc ratione Origenes putavit historiam Susannæ, quam nunc Græcè tantùm in libro Danielis scriptam habemus, Judæorum studio sublatam fuisse à Scripturis, ἀπὸ τῶν γραφῶν. Multa quoque recenset, quæ existimat in priscis illis Judæorum libris quos vocat Apocryphos extitisse, quæque Judæi consultò in publicum non ediderint; cujusmodi sunt Christi verba, *Væ vobis Scribæ & Pharisæi, quia ædificatis sepulcra Prophetarum*, & quæ sequuntur Matth. Cap. 23. vers. 29. usque ad vers. 39. ista & alia bene multa quorum in hac ad Affricanum Epistola mentionem facit, autor est in antiquis Scripturis extitisse, sed σοφοὺς καὶ ἄρχοντας καὶ πρεσβυτέρους, *Sapientes* seu Doctores, *Principes & Presbyteros* noluisse ut ea evulgarentur, quæ tamen in libris arcanis quos apud se retinent adhuc remanerent.

Libri Josuæ, Samuelis ac Regum, si Theodoreto fidem habeamus, etiam decurtati & ampliati sunt, cùm illi, ipso referente, ex amplioribus Prophetarum Commentariis deprompti fuerint, quibus etiam aliquid à posterioribus Scribis additum fuerit. Sed quia Vossius est bonus Christianus, Theodoretum, Procopium, Diodorum aliosque Patres sic sentientes non recipiet. Theodoretus itaque autor est, apud Ebræos fuisse Prophetas qui res ætatis suæ conscriberent, à quibus Prophetis ortum fuisse putat, ut liber primus Regum apud Ebræos & Syros appellatus fuerit Prophetia Samuelis. Dein addit, eos qui editi sunt Regum libros, ex scriptis illorum Prophetarum, quorum munus fuit res quas gerebantur in publicos Annales referre, longo post tempore excerptos fuisse. Profert denique aliquot exempla, quibus demonstrat ejusmodi libris nonnulla postea à Scribis adjecta fuisse. Neque aliud sentit de libris qui vulgò appellantur *Paralipomena*.

Theodor. Præfat. in lib. Regum.

Theodor. lib. 2. Reg. interr. 4.

Hæc etiam Theodoreti verba in Scholia sua transtulit Procopius, ut ostendat Scribas illos seu Prophetas apud Ebræos extitisse, qui priorum Prophetarum historicas conscriptiones collectas aliquot locis ampliaverint. Πλεῖστοι Προφῆται, inquit Procopius, γεγένηνται, ὧν τὰς μὲν βίβλους οὐχ εὑρομεν· τὰς δὲ προσηγορίας ἐκ τῶν

Procop. Præfat. Schol. in lib. 1. Reg.

Παραλειπομένων μεμαθήκαμεν ἱστορίας. Τούτων συνέγραψεν ἕκαστος ὅσα συνέβαινε γίνεσθαι κατὰ τὸν οἰκεῖον καιρὸν· αὐτίκα γοῦν καὶ ἡ πρώτη τῶν Βασιλειῶν καὶ παρὰ Ἑβραίοις καὶ παρὰ Σύροις προφητεία Σαμουὴλ ὀνομάζεται. Οἱ τοίνυν τὰς Βασιλείας συγγράψαντες ἐξ ἐκείνων λαβόντες τὰς ἀφορμὰς μετὰ πλεῖστον συνέγραψαν χρόνον· πῶς γὰρ οἷόν τε Σαμουὴλ, τὸν τῷ Σαοὺλ ἢ καὶ τῷ Δαβὶδ συνηκμακότα τὰ μετὰ ταῦτα συγγράψαι μέχρι τοῦ Ναβουχοδονόσορ τελευτῆς, ὃς αἰχμάλωτον εἰλήφει τὸν Ἰσραήλ. Theodoreto & Procopio suffragatur Diodorus, qui expendens hanc clausulam libri 1. Samuelis, *Qui Propheta dicitur hodie, vocabatur olim Videns*, putat illam à Scribis posterioribus adjectam fuisse: hæc enim sunt illius verba. Ἐκ τούτων δείκνυται, ὅτι ἅπερ τῶν Προφητῶν ἕκαστος τὰ ἐν τοῖς κατ' αὐτὸν χρόνοις ἔγραψαν, ταῦτα οἱ μετὰ ταῦτα συναγάγοντες προσεθήκαν τὸ, ὅτι ἔμπροσθεν βλέποντα τὸν Προφήτην ἐκάλουν. *Ex his ostenditur, quæcunque Prophetæ singuli temporibus suis gesta scripserunt, ea illos qui postea extitere colligentes adjecisse istud, olim Prophetam appellabant Videntem.*

Diodor. Schol. in lib. 1. Samuël. Cap. 4. vers. 4.

Nihil etiam frequentius occurrit in libris Regum & Chronicorum, quàm publicarum illarum conscriptionum Acta sub his verbis, *Nonne hæc scripta sunt in libro verborum dierum Regum Juda:* similiter, *Nonne hæc scripta sunt in libro verborum dierum Regum Israël.* Ex quibus manifestè liquet, Regum historias, quæ evulgatæ sunt, in breviorem summam à Scribis seu Prophetis posterioribus contractas fuisse, easque tantùm esse compendia publicorum Annalium qui penès Ebræos in Tabulariis asservabantur. Præterea lib. 2. Paralip. Cap. 24. vers. 27. mentio fit libri מלכים *Regum*, qui diversus fuit à libro Regum qui editus est; atque ille complectebatur res gestas על מדרש, id est, *diligentiùs*, uti vertit Hieronymus in Vulgata, sive uberiùs. Septuaginta autem Interpretes על מדרש reddunt ἐπὶ τὴν γραφήν, quo nomine denotasse videntur Acta illa diurna Regum quæ asservabantur in Tabulariis publicis. De isto autem Regum libro Sixtus Senensis hæc scribit; *In illo latiori narratione luculentiùs universa ac singula gesta Regum Judæ & Israël digesta fuisse, & ea quæ nunc de his habemus ab incerto abbreviatore, quem alii Jeremiam, alii Esdram esse putant, brevi compendio collecta fuisse.*

Sixtus Sen. in Bibl. Sanct.

Psalmos quoque Davidis quos nunc legimus partem duntaxat esse eorum qui longè plures à Davide scripti fuerint, existimarunt nonnulli Patres, qui putant illos in parvum numerum à Rege Ezechia redactos fuisse. Ὁ βασιλεὺς Ἐζεχίας τὸ τῶν Ψαλμῶν πλῆθος εἰς ὀλιγωρίαν ἄγων. Quod autem illi de Rege Ezechia dicunt, de ejus Scribis intelligendum est, qui eo jubente Psalmos Davidis in certam formam redegerint: quo etiam modo Patres nonnulli putarunt Salomonis Proverbia ab iisdem Ezechiæ Scribis in breviorem summam fuisse contracta, selectis iis tantùm sententiis quæ meliores populoque utiliores esse videbantur. Qui liber Proverbiorum sic digestus ab Ezechiæ Scribis ad nos pervenit.

Verùm quid multis opus est? Ecclesia Catholica dudum in Libros Ca-

Canonicos retulit librum secundum Maccabæorum, quem constat amplioris voluminis esse compendium. Hæc enim sunt Scriptoris ipsius verba. *Τὰ ὑπὸ Ἰάσονος ἐν Κυρηναίοις δεδηλωμένα ἀφ' πέντε βιβλίων πειρασόμεθα δι' ἑνὸς συντάγματος ἐπιδραμεῖν.* Doleat bonus ille Christianus Vossius Sacrorum Librorum vicem, qui sic decurtati & ampliati fuerint; modò tamen pro libris decurtatis novos Prophetas qui nugatores & impostores fuerunt, non substituat.

Lib. 2. Maccab. Cap. 2. vers. 24.

Iterum tamen instat, Simoniumque reprehendit quòd dixerit, plerosque Theologos etiam in Pentateucho ampliationes aliquas agnovisse; & quia nihil amat nisi quod vetustum est, spretis illis recentioribus Theologis, objicit ex antiquæ Ecclesiæ Patribus ne unum quidem sisti posse testem, excepto uno Hieronymo, qui ultima Pentateuchi verba de morte Mosis, & illud de sepulchro Rachelis *usque in hodiernum diem*, existimavit ab Esdra fuisse addita. *Sed illum*, inquit Vossius, *manifesti erroris convincit Samariticum Exemplar, in quo totidem verbis hæc ipsa leguntur. Illud autem ab Esdra fuisse interpolatum nemo sanæ mentis dixerit.*

Jam utrùm ipse Vossius sit sanæ mentis expendamus, qui Hieronymi testis in hac materia locupletissimi autoritatem contemnat. Hæc scripsisse Hieronymum animo à Rabbinis præoccupato non dixerit Vossius, cùm longè aliud sentiant Rabbini de libris Mosis. Verùm nihil in hoc negotio affirmavit Hieronymus, nisi quod à priscis Ecclesiæ Patribus acceperat, qui in hanc conspirant sententiam, ut Esdras Divino Spiritu impulsus Scripturæ Sacræ libros miserè deperditos, vel saltem corruptos, restituerit aut recognoverit. Itaque Hieronymus, ubi manifestum in Pentateucho additamentum deprehendit, istud meritò Esdræ tribuit, qui ex constanti Patrum traditione Libros Sacros restituerat; unde fit ut ipse pronunciare non audeat, Mosem Pentateuchi, uti nunc extat, Scriptorem esse; sed verba sua emolliens sic loquitur, *Sive Moysem dicere volueris autorem Pentateuchi, sive Esdram ejusdem instauratorem, non recuso.* Ea verò quæ in fine Pentateuchi de morte Mosis referuntur manifestum esse additamentum fatentur ipsi Judæorum Magistri in Talmude, qui etsi singula verba Legis Mosi à Deo fuisse dictata affirment, excipiunt tamen hæc ultima, quæ libris Legis à Josua adjecta fuisse existimant.

Hieron. adv. Helvid.

Talmud.

Josephus quidem & Philo putarunt etiam illa à Mose fuisse scripta, qui spiritu Prophetico impulsus fuerit: sed reclamant præstantissimi quique Theologi, quòd Contextûs ipsius verba clara sint & manifesta, ut ostendit Abulensis. Nam, licet fingamus Mosem de seipso locutum esse Prophetico spiritu, fierine potuit, ut de seipso quoque Moses dixerit, *Et non cognovit homo sepulcrum ejus usque in præsentem diem?* Hæc clausula supponit Moysem jam mortuum atque sepultum fuisse: quare etiam Bellarminus de hoc additamento sic loquitur. *Quæ autem post mortem ipsius Mosis scribuntur in extremo Capite Deuteronomii, addita sunt vel à Josua, vel ab Esdra, vel ab*

Joseph. Philo.

Bellarm. de Eccl. Scriptor.

alio aliquo Propheta. Hæc tamen libro Legis potiùs adjecta fuisse à Josua, quàm ab Esdra, probavit ex eo Simonius, quòd Josue, seu Synedrii magni Assessores, quibus ipse præfuit, in publicas conscriptiones retulerint ea quæ post mortem Mosis gesta sunt : quo sensu explicanda censet verba illa Josuæ, *Scripsit quoque omnia verba hæc in volumine Legis Domini :* id est, Scribæ seu Prophetæ quorum fuit Annales illorum temporum scribere, ista in illos retulerunt, ex quibus, dein & ex aliis posterioribus, teste Theodoreto, composita est, quam nunc habemus, Josuæ historia. Denique fieri etiam potuit ut Esdras, qui ex Patrum sententia Scripturas Sacras recognovit, nonnulla explicationis vel connexionis causâ iis inseruerit. Quæ sententia tot tantorumque virorum suffragiis comprobata est, ut inutile sit istis diutiùs immorari.

Jos. 24: 26.

His tamen obstare videtur quod subjungit Vossius de Samaritarum Pentateucho, qui ista additamenta æquè continet, atque Judæorum Exemplar; nemo autem sani judicii dixerit libros Samaritarum ab Esdra interpolatos fuisse. Argumentum illud, quia majoris erat momenti, jamque à Judæo Albo doctissimo Rabbino propositum fuerat, Simonius expendit in sua Critica Sacra. Autor est Samaritas Legis Mosaicæ Exemplaria Ebraica à Judæis accepisse : illud enim quod vulgò objicitur, fieri non potuisse ut Samaritæ ab hominibus quos odio prosequebantur libros suos sumpserint, validum non est : quia constat illos vehementer expetivisse, ut Judæis adjungi possent, sicut ex hisce verbis Esdræ manifestum est : *Et accedentes ad Zorobabel & ad Principes Patrum, dixerunt eis, ædificemus vobiscum, quia ita ut vos quærimus Deum vestrum.* Hinc colligit Thorndicius, primos Samaritas idololatras fuisse, ac sub Esdra solùm testari se verum Deum coluisse. Certum est eos usque ad illa tempora semper idolorum cultûs aliquid retinuisse ; neque firmis rationibus ostendi potest, Legem Mosis ante Esdram ab illis usu publico receptam ac lectam fuisse. Eos autem Legis Mosaicæ Exemplaria à Judæis sumere, necesse fuisse videtur, cùm ab aliis quàm à Judæis illam mutuari non possent. Quodque animadversione dignum est, iidem Samaritæ seculis posterioribus non ita fuere religiosi, quin Arabicam Rabbi Saadiæ Versionem legerint & approbaverint, antequàm Abusaid Samarita novam Legis Mosaicæ Tralationem Arabicè in usum gentis suæ condidisset, damnatâ Saadiæ Versione ut ineptâ & Judaicâ. Itaque Esdras non interpolavit Samaritarum Pentateuchum, sed ipsi Samaritæ Legis Codices à Judæis Esdræ temporibus acceperunt : & ita sensisse Hieronymum non dubito, cui Samaritarum libri cogniti fuerunt.

Esdr. 4: 2.

Thorn.

Abusaid. Interp. Arab. Sam.

Iterum Vossius verba fundens in solitas declamationes relabitur, objicitque Simonium compilasse digressionem non valde bonam nec facientem ad propositum ex Rabbinis & recentibus Theologis de Sacrorum Librorum Scriptoribus. Verùm nihil dixit isto loco Simonius, quod non faceret ad propositum : nam Vossio & ejus similibus qui objecerant

rant eum novatorem fuiſſe in eo quod de Sacrorum Librorum Scriptoribus attulit, ipſe reſpondet nihil à ſe innovatum eſſe in hoc negotio, idque demonſtrat non ſolùm Rabbinorum & Theologorum recentium teſtimoniis, ſed & antiquæ Eccleſiæ Patrum autoritate. Satis tamen erat, ut novitatis ſuſpiciones à ſe amoliretur, illud recentium Theologorum teſtimoniis comprobaſſe, ut oſtenderet imperitè ac malignè objectam illi fuiſſe ſententiæ ſuæ novitatem.

Carpit præterea Voſſius Simonium, qui dixerit libros illos eſſe Apocryphos, quorum autores occulti ſunt & incerti. *Si hæc vocis hujus*, inquit Voſſius, *legitima ſit expoſitio, omnino oportet ut major pars librorum Veteris Teſtamenti ſint Apocryphi*, quia ſcilicet ne unum certo alicui relinquit autori. Sed iterum ſophiſtam agens Voſſius cavillatur. Ut enim de eo ſileam quòd nihil à Simonio dictum ſit de Sacrorum Librorum Scriptoribus, quod jam antea à pleriſque Patribus doctiſſimiſque Theologis non fuerit approbatum, certum eſt libros appellari Apocryphos qui occulti ſunt & incerti. Illos autem occultos & incertos appellavit Simonius, de quibus nihil certi pronunciavit Eccleſia vel Synagoga, an ſcilicet illorum autores ad ſcribendum Divino Spiritu impulſi fuerint. Dixit igitur Simonius, Scriptores Apocryphos eſſe incertos & occultos, neque à quoquam recipi poſſe tanquam Divinos ac Propheticos, niſi poſtquàm ea de re Synagoga vel Eccleſia tulit judicium. Sic Scripturas Apocryphas rejiciens Cyrillus Hieroſolymitanus, autor nobis eſt, ut eas ſolùm meditemur quæ liberè leguntur in Eccleſia. Πρὸς ᾧ τὸ ἀποκρυφα μηδὲν ἔχε κοινὸν· τάυτας μόνον (βίβλους) μελέτα σπουδαίως, ἃς καὶ ἐν ἐκκλησίᾳ μὴ παῤῥησίας ἀναγινώσκομεν. Cujus Sanctiſſimi Patris monitis ſi obtemperaſſet Voſſius, impuros Scriptores non adſcripſiſſet albo Prophetarum.

Cyrill. Hieroſ. Catech. 4.

Denique placet iterum Voſſio μωρεμίνειν. Simonius, qui Voſſii maledicentiam ex illius ſcriptis noverat, hoc illum ſignaverat elogio, *In maledicam animam non introibit ſapientia*; jam ut elogium iſtud in Simonium transferat, ait illum ſibi conſcium eſſe vitæ P. Morini. Sed quid ad rem faciat vita P. Morini, viderit ipſe Voſſius, niſi quòd ipſi ſolenne ſit μωρεμίνειν. Jam vitâ functus erat Joannes Morinus, quando Simonius Oratorianis Pariſienſibus nomen ſuum dedit. Mirum non eſt Voſſium Morini defenſorem ſe præbere, qui illius exemplo manifeſtos errores obſtinatè tueatur. Illud enim de Morini moribus à viris fide dignis accepi, illum tam pervicaci animo fuiſſe, ut exactis jam tribus annis ab expugnata Rupella, hanc revera expugnatam fuiſſe firmiter negaverit, dixeritque vanos eſſe qui ea de re vagati fuerant rumores. Similiter bonus Voſſius fabellas commentaque pluſquàm Rabbinica non aliâ defendit ratione, quàm quòd eodem atque Morinus præditus ſit ingenio. Nugas verò non agebat ille qui à Voſſio poſtulavit ut Simonium ceſſaret allatrare, cùm ejus ſcripta caninæ ſuæ eloquentiæ manifeſta præbeant argumenta. Neque etiam Voſſio reſpon-

respondens cavillatus est Simonius, qui ridens ejus ineptias validissimis easdem rationibus confutaverit. Jam precor bonam mentem firmiusque judicium optimo Vossio, ut paratior ac fortior iterum descendat in arenam cum Simonio, qui eum quocunque ierit lubens ac promptus sequetur. Hæc ad te scripsi raptim, vir clarissime. Si tamen ea judicaveris digna quæ lucem aspiciant, per me licet ut evulges.

Juliobonæ in Caletibus, die 12. *Januarii*, 1685.

Pag. 32. post hæc verba, *sed ex mente Judæorum*, addenda sequentia.

His omnibus accedit Petri Comestoris autoritas, quem vulgò Magistrum Historiarum appellant, qui Prologo Hieronymi in Judith affirmat legendum esse *Apocrypha*, non verò *Hagiographa*; quam lectionem putat esse vitium Scriptoris. Similiter editor Bibliorum, quibus Glossa ordinaria & Lyrani Annotationes inseruntur, verba Hieronymi Prologo in librum Tobiæ profert cum duplici lectione: nam super vocem *Hagiographa* notavit, aliàs *Apocrypha*; unde Brito in sua Expositione probans hanc lectionem, scribit ad vocem *Hagiographa*, quæ vulgaris erat lectio, *Alia litera habet Apocrypha, quod melius est.* Plura sunt ejusdem naturæ quæ in Hieronymi libris ex ipsomet Hieronymo facilè restitui possunt sine Codicibus manu exaratis.